

S

S

D

1

6

7

3



INDEX TRACTATUUM AC DIS-
SENTATIONUM

1. De Origine Juris Germanici
2. De Privilegiis recte conferendis et revocandis. A. Serre Plum.
3. De Commercii et Mercatura. A. von Ulmbroch.
4. De Vectigalibus. A. Thoma.
5. Jacob: Lampadius de Republ. Romano-Germanica cum
Annotatis Conringij
6. De Antiquissimo Statu Helmsbadii.
7. De Fovano Boni Principis. A. Koes.
8. De Prudentia peregrinandi. A. Groenouff.
9. De Civili Prudentia
10. Propolitica
11. De Vana et maxime vera Jurisprudencia
12. De Vectigalibus. A. Zimmermanno
13. De Civitate Nova. A. Mallari
14. De Educatione recta. A. Carlström.
15. De Militia lecta, mercenaria et Socia. A. Prof.
16. Naaman Bensenius de Summa Potestatis Subjecto contra Johann:
Fiolovium pro Conringio.
17. De Principis Negotiis in Comitibus Imperii Germani tractari solitis
A. Beckero.
18. De Nomothetica. A. ab Hammerstein
19. De Forma Judiciorum recte instituenda. A. Albrecht

EX
BIBLIOTHECA
SAMUELIS STRYKII, JC.
A. M DC XCVI.

X. B. a. 33 30
IX. / 31

~~6. 13. 14. 15.~~

~~XXVIII. 9. ce.~~

16
DISSERTATIO
DE
PRÆCIPUIS NEGO-
TIIS IN COMITIIS IMPE-
RII GERMANICI OLIM
ET HODIENUM TRACTA-
RI SOLITIS

Q V A M

Aspirante Divino Numine

SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI ATQVE CLARISSIMI

HERMANNI CONRINGII
PHILOSOPH. ET MED. DOCTORIS AC
PROFESSORIS CELEBERRIMI &c.
FAUTORIS AC PRÆCEPTORIS SUI
PLVRIMVM OBSERVANDI

ad diem 18. Aprilis

placida subicit ventilationi

IOAN CASPAR BECKER

Rhenberga Westph. Auct. & Relp.

IN NOVI IULII AUDITORIO MAIORI

✻) o (✻

HELMÆSTADII,

Typis HENNINGI MÜLLERI Acad. Typogr.

ANNO MDCCCLXVI.

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including names like 'HERMANN' and 'HENNING'.





SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO
WILHELMO

Marchioni Brandenburgensi S.

R. I. Archicamerario & Electori, Magdebur-
gensium, Prussor. Iuliacens. Clivens. Bergensium,
Stetinensium, Pomeranorum, Cassubiorum, Venedor.
nec non, in Silesia, Crossensium ac Iegerndorfensi-
um Duci, Burggravio Norinbergensi, Principi Hal-
berstadensi ac Mindensi, Comiti Marchiæ &
Ravensbergæ, Domino in
Ravenstein &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Felicitatem perpetuam.

Audent viles hæ pagellæ, Tuum Sere-
nissimime Princeps Domine Clemen-
tissime, sibi augustum nomen inscri-
bere,

bere, & ut ipse illis faveas, & favoris publici
 viam regia humanitate aperias, summa devo-
 tione rogare, non sui quidem, non auctoris, sed
 argumenti, ac tuæ potissimum clementiæ fidu-
 cia. Impudens forte & audax videri possem,
 quod juvenis tantum Principem, præsertim jam
 viffimis belli negotijs occupatum, hoc imma-
 turo ingenij mei foetu compellare non eru-
 bescam. Verum, cum mecum perpendo Tu-
 am, Serenissime Princeps, in studia liberalia
 singularem favorem, inque eorum cultores
 summam benignitatem, non dubito, quin be-
 nigno etiam vultu hoc specimen studiorum
 subditi Tui sis accepturus. Et certe merito li-
 teris faves, qui tot historiarum materiam Orbi
 dedisti & adhuc daturus es, Parum enim est in
 hominum memoria, si eam non vetat conse-
 nescere scribentium fides. Hoc Orientis do-
 mitor Alexander, hoc Cæsar, hoc veterum re-
 gum nobilissimi sensere, nec aliam sperave-
 runt triumphis suis sortem quam quæ ex eru-
 ditorum favore contigisset. Ut itaque & Ti-
 bi post

bi post fata contingat famæ æternitas, in-
 eundum cum literis foedus, quo & illis præ-
 sens faveas, & Tibi illæ aliquando absenti
 æternum paremque virtutibus tuis locum
 inter Heroas constituent. Durat adhuc ho-
 die memoria Majorum Tuorum, & benefi-
 cio literarum perpetuo quasi vivere vide-
 tur, dum familiæ Tuæ illustrissimæ, totus
 historicorum senatus, & bellicæ & togatæ
 virtutis tribuit adorem, ac ob egregiam rei-
 publicæ navatam operam, & heroica fa-
 cta, alium Marchionem cum ferreis denti-
 bus, alium Achillem, alium Alcibiadem
 alium Ciceronem Germanicum, alium pru-
 dentem, severum, oculum & consilium Ger-
 manicæ, pium alium atque constantem,
 cunctos denique heroicis virtutibus insi-
 gnes, deprædicat. Magnæ hæ quidem Se-
 renissime Princeps, pacis bellicque Majorum
 Tuorum laudes. Sed hæc magna majori-
 bus factis deles. Quos enim non quotidie
 triumphos tuos audimus? Quos non indies

A 3

exspe-



exspectamus. Quoscunque magnorum Principum cura tangit, mirantur obstupescunt, se felices existimant, quod tuo seculo vivant. Sensit vires tuas Polonia, & hodiernum stupefcit. Dania fortitudinis tuæ, cuius in nuperrimo bello contra Suecos grandia dedisti documenta, non sine admiratione summa recordatur. Armorum tuorum potentiam ac felicitatem prædicant vicini, hostes verentur, Europa uniuersa stupet, extollit, admiratur. Quamquam autem imbutus heroica armorum voluptate, non his tamen, plus iusto indulgens, pateris bellimalis pacem esse infestam, nec major Regnorum es vindex, quam deinde salutis singulorum. Oppressos populos, afflictos Principes, tua auctoritate relevas, nec fortunæ nimium licere permittis. Versatur jam in ore omnium Clementia, quod subditis, quos tuæ bonitatis ignorantia ab officij limite transversos egerat, præter peccandi licentiam nihil adimis. Notæ jam cunctis
tui

tui nominis dotes, in quo omnia ad æternitatem famæ conspirant, nobilissimo regno, & indole nobiliori. Sed campum non ingrediar laudum tuarum amplissimum, eas enim omnes recensere velle, magnarum & ingenij & doctrinæ virium opus esset. Id tantummodo Domine Clementissimè humillimâ veneratione Serenissimam Tuam Celsitudinem rogo, velit hocce meos conatus, ut subjectionis debitæ & æterni obsequij monumentum habere, meque subditum suum, sua tam illustri apud omnes Clementia profèqui. Indignos quidem eos esse Tanti Principis aspectu, haud diffiteor: at liceat thura non habenti sale & farre tosto libare. Quod reliquum est, Serenissime Princeps, Deum Opt. Max. supplex oro & veneror, ut domi forisque omnia Tibi tuta ac læta præstet, consilijque atque inceptis tuis adsit, præsitque semper benignus; faxit denique, ut Tua Celsitudo populos à providentia divina

vina

vina & submissos Sibi & commissos, quam
optime, quam felicissime, quam diutissime
regens

*Imperium Oceano famamque ut ter-
minet astris*

Sereniss. Potentiss. Celsit. T.

Subiectissimus & humilimus servus

JOAN CASPAR BECKER



A. D. N.

DE

PRÆCIPVIS NEGOTIIS IN
COMITIIS IMPERII GERMANICI
OLIM ET HODIENVM TRA-
CTARI SOLITIS.

THESIS I.



Magnus erga Principes exinde accre-
scit subditorum amor, si ipsos nihil ex do-
mesticæ & propriæ voluntatis arbitrio con-
cludere, sed reipublicæ negotia, præsertim
majora, omnium aut certe plurimorum
consilio ac consensu, in conventibus agere
videant. Imo multo lubentius ijs quæ consilio plurimo-
rum decernuntur, parent, quam iis, quæ auctoritate so-
lum Principum imponuntur. Quæ enim consilio plurium
geruntur, non nisi æqua justaque esse putantur, & si quæ-
dam duriora, ita flagitante necessitate, constituuntur, quia
tamen Ordines ea approbarunt, ideo populus non nisi
magna & prægnante ratione ea emanasse, æstimare con-
suevit, promptiusque iis obsequium exhibet. Quod vi-
dentes callidissimi Rom. Imp. Cæsar Jul. Cæsar & Augu-
stus, sapissime Senatum convocarunt, & in consilium de
negotijs reipubl. adhibuerunt, ut ipsius consilio & senten-

A

tia

tiacuncta reip. negotia administrare viderentur, & per hoc populi animum sibi devincirent.

II. Si veterum replicamus monumenta, ab antiquissimis temporibus, consiliis in conventibus agitata salutem stetisse multarum rerumpublicarum, undique deprehendimus. Et pauca per Europam quidem existerere regna vel imperia, in quibus ad consilia reipublicæ causa incunda publicorum congressuum usus non fuerit habitus summè necessarius. Hinc non omnino malè hanc in rem Bertamus de Comitibus Imperij Rom. Germ. inquit: *Circumspice in hoc orbe Christiano, intueri imperia, regna, politias & quicquid est mediocris reip., nullaq; sine hoc fulcro stetisse & adhuc stare deprehendes. Oculos converte in statum Imperij Germ. nonne is consiliis, quæ Cesar cum Proceribus in Comitibus inire consuevit, eum columna unice innititur? Malum imminet Reipublicæ? Ecce salutari hoc remedio mature obviam itur. Consultandum de magni momenti causis? Convocantur quique sapientissimi. Labascenti Imperio suppetia ferenda? statim occurritur.*

III. Pro diversitate autem gentium, diversæ quoque sunt & fuerunt Comitiorum notiones. Sua habuerunt Athenienses, sua Spartani, sua itidem Romani. Et hodie Hispanis, Gallis, Anglis, Danis, Suecis, Polonis, Germanis alijsque populis proprii cuique sunt conventus. Quemadmodum vero Regnorum varius est status, cum alia plus alia minus ex aliis rebus publicis admixtum habeant, sic etiam Comititia non ubique ejusdem auctoritatis sunt. In regnis liberis, dicis plerumque tantum gratia Ordines à Principe convocantur, sive loco consilij, & ut audiat ab eis, si quid provincia quælibet habeat quod remedio indigeat, libera autem quidvis pro
lubitu

Iubitu statuendi potestas revera penes Regem aut Principem manet.

IV. Talia fere hodie sunt Comitata Regni Gallici. Cum enim anno 1599 Henricus IV Edictum de pace religiosa promulgaret, Parlamentum autem id improbare conaretur, ad se vocatos Patres Parlamenti sic increpasse fertur. *Summa orationis mea hac est, vos ut rogem, Edictum quod Religionis confederatis concessi, ratum esse firmumque velit & jubeatis. Quicquid ejus à me factum est, Pacis constituende causa factum. Quam foris jam ante constitutam etiam domi & intra Regni mei fines stabilire decretum mihi. Obedientiam mihi debetis vel solo ordinis mei locique respectu. Multorum etiam magnorumque in vos beneficiorum nomine Vti hæc habet Petrus Matthæus de vita Henrici IV. & paulo post. Jam susurrari audio varia quæ haud moror. Rex vester ego sum. Obedientiam facite, mihi studiumque probetis. Legionem meam parum ex fide militantes ex auctore. Vos cogitate quid sitis laturi commodi, si mihi non eritis dicto audientes. Vel invitis vobis Edictum publicabo.* Notum ex novellis, quid adhuc nuperrime in Gallia contigerit. Cum enim quidam Parlamenti Patres Regi statim assentiri nollent, non tantum gravissime illos increpavit, sed etiam in custodia aliquamdiu retinuit.

V. Longe, alia est ratio Conventuum Germaniæ, obtinet ibi quidem ut Cæsar eos indicet; sed tamen ne hoc quidem hodie nisi ex consensu & consilio Electorum. A. B. C. 12. & Reces. Imp. de anno 1570. § 3. Concludendi autem potestas non penes Cæsarem, sed ipsum & universos Imperii Ordines est. Quippe Ordinum non consilium modò sed consensum Imperator necessario adhibere tenetur, nec quicquam absque illo aut diversum ab

illo statuere potest. *Instr. Pacis Casar. Suecic. c. 8. §. 2.* Adeo-
oque adhuc verum, quod olim Tacitus agebat: *Audiuntur
quidem Reges in conventibus, sed auctoritate magis suadendi
quam iubendi potestate.*

VI: Quamvis autem Germani unius fuerint origi-
nis, & linguæ prope ejusdem, imo vero unam Germani-
am fere omnes habitaverint, proxima mutuo vicinitate
juncti, tamen in unam remp. non nisi admodum sero, &
quidem demum vix ante hos octingentos annos coalu-
erunt; adeoque ante illa tempora, nunquam de salute u-
niversæ Germ. deliberatum est, nec ulla communia Comi-
tia ab omnibus Germ. populis sunt celebrata. Quanto autē
patriæ malo, hæc de Britannis Taciti verba indicant: *Nihil
adversus validissimas gentes illas pro nobis utilius quam quod in
commune non consulant; rarus duabus tribusve civitatibus ad
propulsandum commune periculum conventus, hinc dum singuli
pugnant, universi vincuntur.* At postquam invictissimus
Imperator Carolus M. incredibili sua virtute atque for-
tuna, Germ. omnem in unum corpus redegit, Comitiam
in singulis regionibus specialia haberi desierunt, succeffe-
runtque, quia omnes illæ Provinciæ unius corporis mem-
bra jam erant, annua & toti Imperio communia. Atque
ex illo tempore obtinuit, ut non amplius in singulis pro-
vinciis Conventus agerentur, sed jam in communi omni-
um Ordinum consessu de salute patriæ ageretur.

VII. Cæterum jam nostrum non est propositum,
de singulis rerump. conventibus agere (tantam enim rem
quis citra periculum suis committere viribus auderet?)
neque vel omnia ad Germ. Dietas universales pertinen-
tia subnotare lubet, sed tantum de earum materia, quan-
tum per ingenij tenuitatem licet, nonnulla seligere, dif-
puta-

putationi includere, & eruditorum placido examini publici exercitij gratia subicere est animus: & quidem res præcipuas tam olim quam hodiernum in Comitibus tractari consuetas, in quantum à me ex historiis peti potuerunt, thesibus hisce inferere conabor. Quod ut feliciter succedat, tu Deus largire vires, & fac ut omnia in nominis tui gloriam cedant.

VIII. Res vero quarum causa Comitibus haberi solent, pro varietate negotiorum Imperio incumbentium, uti olim ita & hodie diversæ sunt. Omnia nimirum illa quæ ad salutem vel Statum Regis & regni pertinebant, in Comitibus Carolinorum Regum ævo tractabantur. *Hincm. Epist. 3. c. 33.* Hodieque omnia negotia quæ ad Imperium vel conservandum vel defendendum pertinent, in Comitibus tractari solent *R. A. de anno 1512.* Et ut paucis me absolvam, quicquid est, quod ad gloriam Dei, conservationem justitiæ, honestatis & publici status ædificationem conferre possit, de eo in conventibus publicis agitur. *Reformation guter Policen zu Augßburg anno 1530. §. 1. Sampt ihnen alles das fürzunehmen zu ratenschlagen / zu handeln und zu schliessen / daß zu fürderst Gott dem Allmächtigen zu Ehr und Lob, gemeiner Christenheit und Teutscher Nation zu Wolfahrt Fried und Einigkeit / auch dem H. Röm. Reich zu nutz auffnehmen und gedeyen gereichen möcht. R. A. des Reichstags zu Regensburg de anno 1541. §. 1. Alles anders zu handeln und zu schliessen / daß dem H. Reich / und desselben Ständen zu wolfahrt nutz und gutem reichen mög. Ac in novissima Pacis constitutione ea de re ita cavetur. Gaudeant sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitales militum instituendæ.*

zenda, nova munimenta intra Statuum ditiones exstruenda nomine publico, veterave firmanda prasidiis, nec non ubi pax aut fædera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint: nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de comitali liberoque omnium Imperij Statuum suffragio & consensu.

IX. Sed ut evidentius appareat quænam negotia in Comitibus tractentur, singulatim ea perlustrabimus. Horum autem alia spectant ad Statum Imperii Ecclesiasticum, alia ad Politicum. Ad Ecclesiasticum, ut de religionis dissidio componendo, de concilio convocando &c: Politicum vero ad Statum quæ pertinent, aut pacifica sunt aut bellica. Cuncta autem comitali, liberoque omnium Imperij Statuum suffragio peragenda. Nos paucis ad Statum Ecclesiasticum pertinentibus præmissis, ad alia pergemus.

X. Cuinam in qualibet rep. constitutio sacrorum competat, non una est doctorum opinio. Nonnulli enim hanc Summæ Potestati cujuslibet Reip. attribuunt: Alii vero omnem sacrorum curam uni tribuunt Romano Pontifici, quasi totus Christianus orbis quoad cultum divinum ab uno illo dependeat. Illi competere jus, doctrinam fidei Christianæ aliæque ad cultum divinum pertinentia ordinandi atque constituendi, intrepide asseverant. Hancque potestatem ipsi divinitus concessam; Regibus vero solam executionem, custodiam, & defensionem eorum commissam, quæ à Papa decreta & ordinata fuerint. Hinc illorum vox, *Glorientur in eo licet Reges, quod statutis patriæ subjecti non sint, aut legibus alienis, attamen decretis Pontificum parere eos oportet.* Imo eousque extendunt potestatem Papæ, ut si ille videat Regem aut Prin-

Principem male remp. curare, pro arbitrio ipsum depō-
nere, subditos juramento fidelitatis solvere, & cui pla-
cet Regnum iterum donare possit. Quam potestatem
ad Regna infidelium simpliciter extendunt, five bene illi
five male rempubl. suam administrent. Et hac falsò sibi
persuasa potestate fretus Alexander VI. Pontifex superi-
ore seculo ipsas terras Americanas Ferdinando & Isabellæ
Regibus Hispaniæ occupandas concessit.

XI. Si ad nostram Remp. oculos convertimus, non
uno eodemque modo se potestas sacrorum in ea semper
habuit. Postquam enim felicibus Francorum armis Germ.
in unum corpus redacta est, ac regiones paganæ & ido-
lolicæ ad veram fidem Christianam sunt conversæ,
summa potestas ut in aliis rebus sic etiam in sacris, ad Re-
gem, seu Imperatorem, & Ordines Regni coniunctim
transiit, legesque Ecclesiasticæ non minus quam civiles,
in Comitibus universalibus conditæ sunt, ceu testatur *Ca-
pit. Carol. M. & Lud. Imp. L. 2. c. 12.* Et si quæ controversia
in religione oborta est, aut quid in disciplina Ecclesiastica,
in vita & moribus clericorum fuit emendandum, hæc
plerumque in Synodis tractabantur: quibus tamen Rex
nomine reipubl. vel præsidebat, vel postquam ad ipsum
relatum est, quid Synodus statuisset, auctoritatem ac-
commodabat. Etiam per Legatos qui certis anni tem-
poribus in singulas regiones ad conventus agendos ex
aula mittebantur, non minus ab Episcopis quam Comi-
tibus rationes officii exigebat. *Cap. Carol. & Lud. L. 3. c. 77.*
Verùm post tempora Caroli M. magis magisque ut in alijs
ita etiam in his Regia auctoritas cepit deficere; contra
invaluit auctoritas Pontificum Romanorum. Hi enim
Regnum in Ecclesia occuparunt, & Imperatores ac Prin-
cipes omni ferè potestate circa sacra exuerunt.

XII. Ad

XII. Ad summum gradum in nostro Imperio hæc superstitio pervenit seculo XI. tempore Gregorii septimi Papæ: qui majori, quàm antehac factum unquam, impudentia & ausu talia cepit profiteri: anathemate percussit Henricum IV; juramento fidelitatis solvit subditos; maxima bella excitavit; imo omnem Germaniæ statum perturbavit & tantum non funditus evertit. Voluere quidem nostri Imperatores initiò acriter vindicare suam auctoritatem, unde gravissima exorta bella; sed paulatim magis magisque succrevit superstitio, & cum ea Monarchia Papalis, adeo ut fere tota Imperij autoritas enervaretur, Pontificesque Imperatori ac Principibus tanquam Monarchæ, non tantum in sacris sed etiam in profanis imperarent, & si ipsos audire nollent statim anathemate ferirent.

XIII. Quamvis autem ita Pontifices Romani in possessionem penè illius monarchiæ pervenerint, de jure tamen semper dubitatum est: adeo ut nonnulla interdum in Comitibus de religione constituta sint, in vitis quamvis imo oblustantibus & contradicentibus Papis. Verum enimvero cum, sec. superiori clarius cepisset ab hominibus agnosci, quantis in tenebris res Ecclesiastica hæcenus fuisset, Luthero duce, in universa pene Europa cepit passim ad libertatem proclamari, & jugum pontificium abjici ac majore quam ante hac unquam audaciâ à plurimis emendatio Ecclesiæ postulata est. Quæ cum à Papa obtineri non posset (qui quantum ex emendatione auctoritatis & ornamenti Ecclesiæ accederet, tantum de sua amplitudine & potestate detractum iri, non vano timore conjiciebat) tandem discordantis patriæ non aliud fuit remedium, quam relictis Ecclesiæ dissidijs in Rep.
unum

SA. IX

unum sentire, ac pristinum in rebus sacris modum iterum
revocare. Pace igitur religioni *R. A.* Zu Augßburg anno 1555.
data, Ordinibus Imperii in suis ditionibus Ecclesiæ con-
stituendæ facultas permiffa est. Quod & Instrumento Pacis
c. 5. §. 30. est confirmatum.

XIV. In Imperio itaque nostro, non Romano Præ-
fuli modò, per Lutheri dogma, sed & Imperatori, per
Pacem Religionis, Pontificatus hic abrogatus est, imo Im-
peratori omne jus præcifum in religionis negotio, cau-
sisque illi annexis quicquam statuendi, ordinandi, aut in-
novandi. Recessus Imperij de anno 1555. §. 15. Cui non
contravenire, sub quocunque prætexu id fiat, sanctissime
promisit Imperator d. Reces. §. 29. Et Ordines Imperij,
præsertim à parte Evangelicorum, in causa religionis,
superiorem nec illum nec alium recognoscunt. Si autem
controversia quædam religionem aut à religione depen-
dentia concernens, inter Ordines oriatur, nullæ Imperato-
ris partes sunt: Sed Assessores, utriusque religionis, certo
numero in hujusmodi casibus, ad litem decidendam con-
stitui oportet. *R. A. de anno 1555. §. 22.* Hinc dubio ex pa-
ce religionis suborto non ad Imperatorem illud sed tota
Comitia pertinet. Ita Iohannes, Marchio Brandebur-
gensis, Imperatoris, in causa Abbatis Fuldensis contra
Sachsen / Monasterium *Altendorff* concernente, Commis-
sarius, dubium illud de bonis Ecclesiasticis mediatis, von
den gemietelten Klöstern / an. 1558 per interlocutoriam, ad
Comitia rejecit. Et Maximilianus Secundus cum ex ca-
pite religionis quædam inter Ordines controversiæ susci-
tarentur, earum cognitionem sibi non arrogavit, sed ad
universos eam Ordines pertinere, anno 1576. die 25. Au-
gust. & 24. Sept. expresse confessus est. Das die *Yrsaln* /
vor die gesambte Reichßstände gehörig: Sintemahl ihre Kay-
serl.

B

serl.



serl. May. wol gesehn/ daß es doch auff eine declaration, so im
Religion friede cum clausula annullatoria verbotten / auß-
lauffen wolte. *Propositio Legatorum Electoris Saxonie ad
Caesarem facta 13 Miji 1630.* Nec itaque male Evange-
lici Capitulares Episcopatus Argentoratensis, Sena-
tu Aulico recusato, ad utriusque religionis Arbitros pro-
vocarunt: Eo quod cognitionem hujusmodi rerum, &
declarationem pacis religiosæ Evangelici Ordines Impe-
ratori nunquam concesserint. Weil die Evangelische Chur-
fürsten / Fürsten und Stände / Kayserl. May. oder deroselben
Reichsrähten die cognition dieser Sachen / als welche ohn mit-
tel den Religionsfrieden concerniren / niemahls eingereumet /
oder gestendig gewesen. In literis ad Cæsaris Commissari-
os, de dato Straßburg 3. Octobr. anno 1602.

XV. Longe ergo rectius hac in re hodie se res Ger-
maniae habent quam olim, magnoque patriæ bono pote-
tas sacrorum Papis iterum erepta. Nam impossibile est, ut
vel vera felicitas civilis, vel resp. integra possit servari, nisi
majestas summã habeat potestatem in religionis negotia i-
psamque cultum divinum. Nulla sane majestas potest offi-
cio suo recte fungi nisi potestatem habeat tum in omnes
cives, tum præcipue in omnes sacrorum ministros, imo
etiam in primores civitatis, ut ditissimos, si illi forte ob-
stant quominus sacra rite obeantur. Tamen non cessant
hodie Iesuitæ (acerrimi Monarchiæ Papalis propu-
gnatores) hisce dogmatibus Imperium nostrum turba-
re. Quod si prudentissimum hac in re Christianissimi Re-
gis exemplum Serenissimi Electores & Principes Germ. se-
querentur, ac omnes libros talia docentes comburerent,
brevis ab hac non toleranda superstitione, Patria liberari
posset. Sed relictis sacris, utpote ad scopum nostrum pro-
pris

prie non pertinentibus, ad alia transimus, neque enim patitur etiam vel ratio instituti hæc omnia ex dignitate persequi.

XVI. Dispersimus supra res in Ecclesiasticas & Profanas, has vero iterum in civiles & bellicas. Vtræque ut recte in republica sese habeant, Summæ Potestatis est videre; hæc verò quia in nostro Imperio est penes Comitiam, utique etiam tam civiles quam bellicæ in iis tractari debent. De civilibus primo agemus. Initium quidem facientes de donis Regibus nostris olim in Comitibus offerri solitis; quandoquidem & hinc plerique veterum Germ. Conventus incipiebantur.

XVII. Sero admodum in nostra Germania Regibus potestas concessa est, tributis & oneribus Aulae sustentandæ, aut militum alendorum causa, subditos pro lubitu onerandi. Iphis enim olim ex redditibus propriis, fiscalibus bonis, aliisque proventibus Imperii fuit vivendum. Ut autem gratum etiam erga Regem suum Status ac Proceres Imperii animum declararent, ipseque laborum pro republica exantlatorum haberet præmium, quilibet pro lubitu & facultate sua Regi munus aliquod quodocunque liberet offerebat. Tandem vero invaluit, ut hæc dona non aliter nisi in Conventibus reipubl. causa celebratis Regi offerrentur. Quoties autem Imperator vel Rex Germaniæ Comitiam de salute reipublicæ agebat, Duces, Comitibus reliquique Status Imperii, imo etiam externi Principes & reipublicæ, aut ipsimet, aut per legatos & Missos suos Regi dona fortunæ & conditioni cujuslibet non indecentia donabant. Ad quæ accipienda, propositione factâ & jam Ordinibus de ea deliberantibus, Rex quotidie apparebat, eaque grato ac benevolo animo accipiebat,

bat, quærens subinde singulos de Statu uniuscujusque
reipublicæ, fortunatis gratiam omnem regiam, miseris ve-
ro auxilium & opem promittens, nonnunquam etiam af-
flictis donare pendens. quod ex variis ejus ævi scriptoribus
constat. Sigebertus ea de re ita habet: *Regibus moris erat &
salutare & salutari, & dona accipere & rependere.* Et Hincmarus
Ep. 3. c. 35. *Interim vero quo hæc (segregata Statuum consilia)
in Regis absentia agebantur, ipse Princeps reliquæ multitudini in
susceptendis muneribus, salutandis proceribus, confabulando va-
rius visis, compatiendo senioribus, congaudendo junioribus, &
cætera his similia, tam in spiritualibus, quam in secularibus oc-
cupatus erat.* Huc etiam facere videntur quæ Pithœus in
Anna! in vita Ludovici Pij Imp. anno 827. recenset. *Sta-
tuit Calend. Julii Vormatiam ad celebrandum generalem populi
conventum properare. Imperator secundum loci & temporis dispo-
sitionem advenit, de his quæ visa sunt studiose tractavit, annua
dona suscepit, filiumq; suum Lotharium in Italiam misit.* Ex
his liquido apparet, tempore majorum lucrosa admodum
fuisse Regibus Comitiam. Hodie is mos plane in desue-
tudinem abiit, omniq; ex parte est mutatus, & non tan-
tum nihil lucri ex Conventibus Imperatores nostri perci-
piunt, verum etiam maximos in ipsis sumptus facere co-
guntur. Hinc mirum non est, cur ab aliquot jam annis
Imperatores nullos conventus urserint, sed etiam pro-
posse impediverint. Quanquam hanc veram & solam
esse causam, cur hæctenus Austriaci ita fugerint Comitiam,
non equidem affirmare auserim.

XVIII. Dum vero in his donis accipiendis occupa-
tus erat Rex, afferentes ea diligentissime interrogabat,
quid ex illa parte Regni quæ veniebant dignum relatu vel
retractatu secum afferrent. Atque his non solum permis-
sum

sum, verum etiam arctius commissum erat, ut studiosissime omnia investigarent, tam intra quam extra regnum, nec solum à propriis vel extraneis, sed etiam sicut ab amicis, ita & ab inimicis, intermissa interim nec magnopere, unde scirent, investigatâ personâ. Hæcque omnia diligentissime facere, hac expressa lege tenebantur quæ exstat Cap. Lib. 2. c. 13. *Si talis causa in qualibet provincia, aut in quolibet Comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem regni, aut ad commune damnum pertineat, eam diu latere non permittatis, qui omnia Deo auxiliante corrigere debemus.*

XIX. Cum autem varia quotidie in republica, tam publica quam privata orirentur negotia, quæ per unum Regem expedire difficile imo verò fuit impossibile; prudenti sane consilio, ut ab omni solitudine domestica, & in quantum rationabiliter & honeste esse poterat, Rex omnipotenti Deo spem suam indefinenter committens, ad totius Regni statum ordinandum vel conservandum animum semper suum promptum haberet, ipsi in Comitibus à Proceribus & populo, in partem curarum, laboris socii, ex iis qui & claritate generis, & opum amplitudine cæteris eminerent, adjungebantur, qui per pagos vicosque justitiam administrarent, ac tam de majoribus quam minoribus Regni negotiis cognoscerent. Hincmarus Epist. 3. *Ad eos (Duces & Comites nimirum) principaliter totius regni consideratio in majoribus vel minoribus singulis quibusque quotidianis necessitatibus occurrentibus, cum palatia conglutinabatur.*

XX. Atque hi non nudi Regum ministri, sed Magistratus Regni fuere, dictique sunt Consiliarij Regis, Palatini majores, seu magis speciali nomine Duces & Comites: Hincmarus Epist. 3. Neque eos propria auctoritate

Rex uti Palatinos minores sumere potuit, sed eligendi fuerunt in plenis Comitibus, autore Tacito de Moribus Germ. c. 12. *Eliguntur in iisdem Comitibus & Principes qui jura per pagos vicosque reddunt.* Hinc mortuo Warnerio Majore domus, Rex Lotharius Treasinis placitum habuit cum Proceribus & populo Burgundiae, eosque sollicitavit, ut alium in demortui locum eligerent, *Gregor. Turon. Lib. II. Hist.* Et Ludovicus Imp. Wormatiam venit, habitoque generali conventu Bernhardum Comitem Barcinonae, qui in Marca Hispaniae praesidebat, Camerae suae praefecit *Annal. Francor. in vita Lud.* Imo gravissime exasperati sunt Proceres Imperij seditionemque excitarunt, cum Carolus Calvus pro arbitrio suo haec officia cuilibet conferret. De quo ita *Aim. Lib. 5. Regni Primores indignati, quia quibusdam honores dederat sine illorum consensu, & ob id adversum ipsum conspirarunt, & conventum suum in Villam Vitmarium conduxerunt.*

XXI. In electione vero horum Magistratum quam maxime ratio habebatur antiquae nobilitatis, nec alius nisi virtute praeditus, discretus, sobrius, nobilisque corde & corpore constans, eligebatur, uti ex hisce verbis Hincmari videre licet. *Iuxta cujuscunque ministerii qualitatem vel quantitatem minister, nobili corde & corpore constans, rationabilis, discretus & sobrius electus fuit.* Cum quo etiam haec Eginhardi verba in vita Caroli M. conveniunt. *Honos praefecti aula non aliis a populo dari consuevit, quam iis qui & claritate generis & opum amplitudine caeteris eminebant.* Non quidem haec officia plane erant haereditaria, habebatur tamen etiam in electione horum officialium, magna ratio filiorum demortui, ut si quis ex filiis dignus parentis munere esset, non facile negligeretur, sed plerumque ipsi
furro

Surrogaretur, ceu ex Tacito apparet. *Insignis*, ait ille, *nobilitas*, aut magna patrum merita, dignationem Principis etiam adulescentulis assignant. Et in *Annal. Belgic.* anno 877. Si Comes de regno obierit, cuius filius nobiscum, filius noster ordinet de his, qui eidem Comiti plus familiares, propinquiores fuerunt, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus & cum Episcopo, in cuius Parochia fuerit ipse Comitatus, ipsum Comitatum provideant, sive regant, usq; dum nobis renunciatur, ut filium illius, qui nobiscum erit, de honoribus illius honoremus. &c.

XXII. Et si autem initio Ducum officium atque dignitas tantum fuerit militaris, ceu ex hisce disertis *Witichindi* verbis apparet. A tribus etiam Principibus totius gentis Ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contenti, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales scilicet populos, *Angarios* atq; *Vestvalos*. Si autem universale bellum ingrueret, sorte eligitur, cui omnes obedire oportuit, ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, equo jure ac lege propria contentus potestate unusquisque vivebat. Successu tamen temporis eandem cum Comitibus juris dicendi potestatem acceperunt, imo integras saepe provincias pluribus Comitibus coagmentatas, civili & militari imperio administrarunt, quod ex variis ejus aevi monumentis liquidò potest demonstrari. Brevitatis causâ duo tantummodo exempla adducemus, ex quibus de cæteris facile poterit judicari. Primum *Eginhardus* in vita *Caroli* sic recenset: *Thasilo Dux Bavariae* ad Regem evocatus nec redire permissus, neq; provincia quam tenebat ulterius praesse, sed Comitibus ad regendum commissa est. Et *Annal.* in anno 618. ita habent: *Dagobertus Rex Regnum* tam per se quam per *Duces* & *Comites* bene disposuit.

XXIII.

XXIII. At habuerunt hanc potestatem gubernandi rempublicam Duces Comitesque tempore Francorum, non independenter aut jure proprio, sed jure Magistratus, quod evidentissime hæc Vadiani verba evincunt: *Franci Reges, inquit, regnum suum Ducum maxime & Comitum opera moderabantur, qui in illa quidem atate non suam seu propriam, sed publicam Regni ditionem administrabant. Perinde enim ut apud Romanos Proconsules, Præsides, Quæstores, Procuratores: ita in Francorum regno, Duces Comites, & qui Camera nuncii dicebantur, alienæ potestatis functionem gerebant. Et Bodinus L. 3. de Rep. In Francico, ait, Imperio Duces, Comites, Marchiones, & qui arces Provinciarum habent à Principe, jurisdictionem & imperium habuere precarium, nil suum.*

XXIV. Sed paulatim illa temporalis & ministra Comitum Ducumque potestas, partim vi, partim emtione, partim profusa Regum liberalitate, omnino mutata est. Præsertim cum Reges nostri in luxu & otio marcescentes, parum jura reipubl. curarent, fieri aliter non potuit, quin pro se quisque, qua parte poterat, neglecta à Regibus munia occuparet, & in ditionem suam pertraheret. Non quidem uno momento, sed tractu temporis istæ mutationes factæ, ut non mutari rempubl. sed mutatam esse sentirent Reges nostri, uti communiter hujusmodi mutationes fieri solent, docente Arist. Pol. l. 5. c. 3. *Civitas, inquit, ex partibus constat: quarum sæpe nonnulla occulte augetur.* Adeo hodie creverunt Duces & Comites, tantoque incremento aucti sunt, ut provincijs suis præsent jam, non ut gubernatores, sed pene ut Reges, collatis in eos iis jure, quæ solius olim Regni erant atque Regum.

XXV. Cæterum an hi judices simpliciter olim controversias potuerint decidere an non, numve ab illis provocari

vocatum interdum fuerit? quandoquidem neque Cæsar,
neque Tacitus, peritissimi rerum Germ. scriptores hujus
quicquam memorarunt, dubitari non immerito potest.
Verisimile tamen videri, lites non alias ad Principes dela-
tas, quam privatorum quorumlibet civium, & tantum quæ
inter singulos pagorum incolas intercesserunt, finiri ab
illis potuisse: quæ autem ortæ fuerint aut inter Regem &
Principes, aut inter ipsos Principes diversorum Pagorum,
aut inter Principem & populum unius pagi, ad Comitium
pertinuisse, ostendit Ampl. Dn. Præses in Disp. sua
de Judiciis Reip. Germ. Certe subsequens temporibus Fran-
corum, non alibi quam in Comitibus has lites fuisse decisas
docent nos varia ejus ævi monumenta. Lib. 3. Cap. Fran-
corum talis lex invenitur. *Neque ullus Comes Palatii nostri
potentiores causas sine nostra jussione finire præsumat, sed tantum
ad pauperum & minus potentium justitias faciendas, sibi sciat esse
vacandum.* Et Lib. 3. c. 77. Cap. Car. & Lud. Impp. *Epi-
scopi, Abbates, Comites, & potentiores quiq; si causam inter se
habuerint, nec se pacificare voluerint, ad nostram jubeantur ve-
nire præsentiam, neq; illorum contentio alibi dijudicetur.* Hinc
cum inter Reginam Brunehildim & Regem Clodoveum
lis intercederet, Rex ad Conventum provocat procerum,
horumq; judicio se contentum fore promittit. Quæ de re
ita Aimoin. Lib. 4. c. 1. *Conventum nobilium debere eum con-
gregare Francorum, & communi tractatu, de communibus con-
sulere rebus, se vero judicio eorum in omnibus pariturum, nec præ-
ceptis promissit obstaturum.* Cum mortuo Ludovico, inter
ejus hæredes gravissimæ orirentur controversiæ, non ali-
bi hæ quam in plenis Comitibus à Proceribus decisæ sunt,
ceu ex Nithardo alijsque ejus ævi scriptoribus videre est.

XXVI. Sic eodem tempore per appellationem à ju-
dicio

¶

¶

dicio Principis Assessorumque potuisse causas ad Comitiam devolvi, non sinunt nos dubitare Capit. Francorum, quæ lib. 7. sic habent. *Si quis judicem pro quibuscunque causis adversum sibi senserit, aut habuerit forte suspectum, vocem appellationis exhibeat, quia nemo oportet audientiam negare roganti.* Addit. Lib. 4. *Populo dicatur ut caveat de aliis causis ad nos proclamare, nisi de quibus aut Misi nostri, aut Comites justitias facere noluerint.* Confirmat hæc exemplum Ludovici Imperatoris, qui in Saxoniam profectus est ad dijudicandas eorum sententias quibus injuria à judicibus facta. *Annal. Fuld. anno 852. Profectus est in Saxoniam, ob eorum vel maxime causas judicandas, qui à privatis & subdolis judicibus neglecti, & multimodis (ut dicunt) legis suæ dilationibus decepti, graves & diuturnas patiebantur injurias. Igitur in loco qui dicitur Ninia habito generali conventu, tum causas populi ad se perlatas, justo absolvit examine, quam ad se pertinentes possessiones juridicorum gentis decreto recepit.* Apparet hinc manifestè, tempore Francorum Regum, utique licitum fuisse parti gravatæ, de quacunque causa, ob justitiam sibi in eadene-gatam, à Comite ad Comitiam appellare. Verum si quis temere appellasse fuit deprehensus, non tantum eo ipso causa cecidit, sed etiam insuper gravi poena fuit affectus. Judex autem iniquam sententiam ferens, damnum parti læsæ, interdum etiam duplum restituere coactus est, imo si magna partes injuria affecit, sæpe propterea ab officio remotus est. *Lehmannus Chron. Spir. Lib. 2.*

XXVII. Quæstio hic politica oritur nobilissima, An nimirum in republ. ubi non tantum Dominantium sed etiam omnium civium ex æquo salus quæritur, promiscua appellandi licentia sit permittenda? An vero nulla plane appellatio toleranda? Variæ hæc de re sunt opinio-
nes;

nes; Alij magnam civibus injuriam fieri putant, si non liberrime de quavis etiam causa levissima appellare possint; Alij vero in causis majoribus appellationem probant, in minoribus autem improbant, atque sic optime Reip. consultum esse putant. Verum enimvero, neutrum in bene constituta republ. videtur tolerandum. Si enim posterior sententia admittatur, ditiores tantum injuriam erunt judicum exempti, pauperes vero non, quod quidem ad dominatum facere videtur, at in republ. ubi etiam salus quaeritur civitum minime tolerandum. Nec prior sententia sine cautione aliqua adhibita erit admittenda, quis enim prout hodie (proh dolor!) sunt hominum mores, hac admissa appellandi licentia, contentus erit sententia in inferiori judicio etiam justissime lata? Perpetuae erunt appellationes, & hinc tandem nihil aliud quam litium sequetur immortalitas, quod etiam minime in bene constituta republ. erit permittendum.

XXVIII. Optima itaque sententia Ampliss. Domini Praesidis in praelectionibus ad Polit. Arist. videtur, quae omnes quidem appellationes admittit, sed hac adhibita cautione, ut qui temere appellasse deprehensus fuerit, non tantum causa eo ipso cadat, sed etiam gravi poena plectatur, judicique a quo provocavit pro injuria ipsi illata (revera enim ita judicem laedit, dum ad judicium superius causam defert) satisfaciat, & si vilis sit persona, poena corporali interdum in eam animadvertatur. Si vero judex iniquam tulisse sententiam fuerit deprehensus, non tantum interesse parti laesae refundat, sed etiam pro ratione causae gravis ipsi multa imponatur; si autem sapius inique judicavit, plane ab officio removeatur. Sic auctoritati judiciorum consulatur, quae ut salva maneat, ma-

C 2

xime

xime interest reip. & litigantibus quod suum est cuique tribuetur, hique ab injuria tuti erunt iudicum.

XXIX. Haecenus de electione Ducum ac Comitum eorumque officio; Videamus ubinam & à quibus Reges nostri olim electi, & adhuc hodie eligendi. Quanquam alii successione alij electione nostros antiquitus Reges ad imperium pervenisse putent, dicendum tamen videtur, mediam viam in usu fuisse, ita ut liberi regum vel Imperatorum, nec in imperio succederent, nisi ab Ordinibus probati, aut praeterirentur si imperio digni essent, modo vulgo in electione Ducum Comitumque usitato. Credebantur enim regio stemmate nati, majorum vestigiis insistere, nec parentum gloriam conservare tantum, sed etiam augere velle, juxta illud Arist. L. 2. Rhet. c. 16. *Sunt nobili loco nati laudis atque gloria cupidi: Anatura autem homines ita animati, ut bona illa quae ante habent augere non imminuere vel amittere cupiant.* At familiam Regiam plane extinctam, tum demum Ordinibus permissum quemcunque vellent liberrima electione ad imperium evehere. Sic extincta familia Carolina, liberrima Francorum Saxonumque electione regnum Francorum occidentale Henrico, Aucupi postea dicto, delatum est. De qua translatione ita habet Rhegino in Chron. anno 920. *Henricus Dux consensus Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum, & Saxonum Rex eligitur, quum tamen nullum praeter ceteris Principibus jus ante in imperio habuisset.* Eodem modo subsequitis temporibus purae electionis jure regnum Germ. adepti sunt Lotharius II Saxo, Conradus II Suevus, Otho IV Saxo alijque plurimi teste Onuph. Panvin. c. 5. *de Comitibus Imperator.*

XXX. Eligebantur autem, sive ex familia Regum essent, sive

sive sola ac mera electione Regnum adipiscerentur, ab Ordinibus & populo in plenis Comitibus, ceu ex electione Sigeberti aliorumque apparet. De hac ita scribunt Historici. *Dagobertus Metin veniens, cum consilio Pontificum & Procerum, sed & omnibus primatibus Regni consentientibus, Sigebertum filium suum in Regem sublimavit.* Idem observatum in electione successorum Pipini, auctore Eginhardo. *Obiit Pipinus superstitibus liberis, Conrado & Carolomanno, ad quos successio regni divino nutu pervenerat. Franci siquidem facto sollemniter generali conventu ambos sibi reges constituerunt. Carolus autem fratre defuncto, consensu omnium Rex Francorum constituitur.* De electione Ludovici ap. eundem ita legitur. *Quumq; jam morbo & senectute premeretur Carolus, advocatum a se Aquitaniae Regem Ludovicum, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis sollemniter de toto Regno Francorum primoribus, cunctorum consilio, consortem sibi totius Regni, & imperialis nominis heredem constituit, impositoque capiti ejus diademate Imperatorem & Augustum iussit appellari.*

XXXI. Fuit is quem haecenus explicavimus in Germanico regno succedendi modus in usu, ad Henricum usque quartum. Qui cum eodem modo adhuc puer esset adeptus imperium, optimam hanc & haecenus maximo Germaniae bono frequentatam succedendi rationem turbavit Papa Gregorius VII. Seculo à N. C. undecimo; Indignum dicens esse libertati Germ. ad unius familiae servitute Procere populumque adigi; Longe rectius imo utilius, liberrima electione ex omnibus Imperij civibus optimum quemque eligi. (speciosus ecce libertatis praetextus, sed si rempenitus consideres, nil nisi tyrannidis dominationisque sacrae constructio) Nec prius destitit monstrum illud hominis, quam eo rebelles Imperij Principes adegit, ut

legem constituerent perpetuo valituram, qua cautum ne regia potestas posthac ulli per hereditatem cederet, sed filius Regis, etiam si valde dignus esset, per electionem spontaneam, non per successionis lineam ad Regnum perveniret. Si vero non esset dignus Regis filius, vel si eum nollet populus, quem Regem facere vellet in potestate habere.

XXXII. At ex quo hæc lex in Germaniam introducta est, ingentes sæpe ob electionem regis ortæ sunt turbæ. Imo aliquoties uno eodemque tempore duo pluresve simul electi, qui inter se commissi, non nisi funesto cruentoque bello rem diremerunt. Et quid mirum? Num enim in vividis gentibus ubi mera obtinet electio, quæ fore speres Comitæ? Num largitionum armorumve immunia, ubi multi opibus, genere, animis pares, neque cedere invicem poterunt, neque omnes regnare? Certe quilibet hic sibi, ut digniori, potentiori aut opulentiori, primas in republica arrogare contendit. Hæc vero nonne summa sunt discrimina, iisque pejora quibus interdum pueritia regum vel tenue ingenium est funesta?

XXXIII. Hæc autem omnia, hoc uno fere repagulo, dum nempe sanguinis non exigua habetur ratio in electione Regum aut Principum, cohibentur. Vnde Tacitus Lib. 3. Annal. *Pravas aliorum spes cohiberi, dicit, si successor non sit in incerto.* Et lib. 2. Annal. *Minore discrimine sumi Principem quam quæri.* Barclajus, scriptor certe acutissimus, hac de re ita scribit: *Finge in nobilibus & inquietis gentibus, quas cernimus hereditario jure contineri, pura electionis morem figere, quid facturos optimates existimas nunc quoque vix Regem patientes? Iam hæc illis accedet sui fiducia, posse se quoque regna potiri, jam despectus in regem, qui ex illorum ordine fuit, nec majores liberos relicturus. Ast ubi fortuna regnandi stirpe in una*
consequitur

consensit, Regum præteritorum reverentia a deo vivit in posteris,
ut vel cuna puerorum in purpuram natorum tacita confessione sor-
ris nostræ nos tangat, nec iis indignemur parere, quos priusquam lus-
cem subeant scimus nasci ut imperent.

XXXIV. Non quidem meram successionem, electi-
one plane remota, omni ex parte præferimus, sed hunc
modum eligendi optimum ducimus, ubi magna etiam
sanguinis habetur ratio, nec filius dignus patri succedere
præteritur. Moribus veteris Germaniæ valde commo-
dam fuisse illam ex hæreditaria successionem & libera e-
lectione mistam constituendorum Regum rationem, vel
inde saltem apparet, quod postquam libera illa electio per
Hildebrandum introducta, omnia per Germaniam moti-
bus commista sunt.

XXXV. Certe funditus Germania nostra bellis ci-
vilibus esset deleta, ni saluberrima collegii Electoralis in-
stitutione, huic malo obviam esset itum. Hinc Goldastus
parte I Politischer Reichshandel tit. 21. dicit. *Nunquam au-
spicatus, nunquam fortunatus, nunquam melius feliciusq; con-
sultum, prospectumq; fuisse Augustissimæ Imperatoris Majestatis
culmini, animadvertimus, quam ubi deligendi creandiq; Ro-
mani Regis, ac subinde Imperatoris, potestas atq; autoritas o-
mnium Principum Christianorum consensu Septemviris Principi-
bus credita est.* Imo nihil salubrius ad bella civilia decli-
nanda excogitari posse, Politici autumant, quam ut non
solum multitudini populi, verum & Optimatum plurali-
tati, Principis sive Regis creandi potestas adimatur. *Bo-
din. de Rep. L. 6. c. 5.* Cum itaque in Imperio nostro magni
semper nascerentur tumultus, Pontificibus Romanis
nunc hunc nunc illum inimicissime insectantibus, ipsis
etiam Principibus in Cæsarum electione gravissimis con-
tentio-

tionibus dissentientibus, ubi sæpius plus valuit potentia & auctoritas quam consultationes & calculi suffragantium, nihil utilius Reip. fuit, quam ut numerus eligentium in paucos adeoque septem Electores contraheretur.

XXXVI. Quando vero hoc jus eligendi Imperatorem sive Regem Rom. quod antea ab omnibus Imperii Principibus exercebatur, ad paucos, & quidem septem tantum Principes, exclusis cæteris Ordinibus pervenerit, cujusque auctoritate vel constitutione id factum fuerit, magna est opinionum differentia, quas omnes enumerare ratio non patitur instituti: paucis itaque sententiam nostram proposuisse nobis sufficiet.

XXXVII. Dicimus autem laudatissimum hoc Septemvirorum collegium sec. 13. post tempora Friderici Secundi capisse, nullam quidem constitutione Pontificis aut Imperatoris, utpote cum illi nullum fuerit jus in rebus civilibus, huic vero non competierit potestas, citra consensum eorum quorum interfuit jus eligendi multis adimere, certis autem duntaxat vel conferre vel relinquere. Nec uno nutu aut speciali aliqua lege primo jus hoc eligendi Regem Germanorum ad septem Electores transiisse, sed pedetentim consuetudine, Ordinum consensu approbata, introductum esse videtur. Tandem vero ut quieti Imperij consulere, quod consuetum ante fuerat, à Carolo IV. consensu expresso Ordinum, lege publica quæ A.B. dicitur, firmatum, sive in nomen scripti juris transiit, à seculo itaque 13. post longum & diuturnum illud interregnum, nullus amplius ab Ordinibus universis omnique populo in plenis Comitibus fuit electus, sed tantummodo à Septemviris Reges creati sunt.

XXXVIII.

XXXVIII. Cæterum seculi hujus anno XLVIII vē-
tustus hic ordo Septemvirorum ad octonarium transiit
numerum, ac cautum expressa tum lege ut in posterum
non septem sed octo debeant esse Electores *Instr. Pacis
Cæsar. Suec. art. 4. §. 3.* Occasionem huic instituto dedit
Fridericus Comes Palatinus Rheni. Cum enim ille Rex
Bohemorum eligeretur, infelici profus successu non
Regno solum, sed & Palatinatu excidit, Electorali digni-
tate in Ducem Bavariæ translata. Quoniam autem de-
sideratissima Germaniæ pax conciliari non posset, nisi
pristinæ dignitati solùm aliquatenus restitueretur, Caro-
lus Ludovicus Palatinus Rheni Friderici filius, Dux au-
tem Bavariæ in Electorum numerum cooptatus, citra
ignominiam aut injuriam cedere non posset, salus reip.
postulavit ut Electoratus octavus Carolo Ludovico cum
Palatinatu inferiori assignaretur.

XXXIX. Electus ita Imperator, hodie per octo Ele-
ctores, olim vero ab universis Ordinibus in Comitijis,
non prius ad administrationem Imperij admittitur, quam
jura & immunitates, Statibus illibatas fore, eligentibus
sanctè promisit. More non tantum apud moratiores, sed
totius pene Orbis gentes usitato, qui Regum, Imperato-
rum, Principum, Magistratumque potestatem, certis
juramentorum pactorumque formulis coardare solent, ne
ad gubernacula rerum evecti ex potestate in tempestatem,
ex administratione in effrenem ruerent licentiam, &
publicam rem pro privata habentes, pessumdarent,
aut everterent. Hinc Limnæus in Prolegom. ad Capit.
Cæsar. inquit: *Videmus nullam fere gentem ita barbaram
ac stupidam fuisse, qua non regem suum ad fidem & tutelam
regni sub certis conditionibus jurandam, sub initium adegerit.*

D

XL. Vc.

XL. Verum etsi quidem vulgo usitatum est Regibus & Principibus leges quasdam præscribere, non tamen ab omnibus æquè servari, nos docet experientia. Et Margareta, trium septentrionalium regnorum domina, exemplum nobis præbet. Quæ cum, in Suecia contra Capitulationem multa tentaret; Proceres, juramentum illi objicientes, haberentne diploma conventionum interrogavit: illis autem, se habere, & quidem probe asservare, respondentibus, ait: *Suadeo ego vobis, ut literas datas diligentia custodia conservetis: Nos autem castra, Civitates, & omnes regnorum nostrorum partes, diligentius observari faciemus.* Quod autem hæ Capitulationes in multis regnis ita lubricæ sint, ea de causa provenit, quia frequenter in sola Principis religione ac conscientia fundantur; & in vero regno harum legum & capitulationis non alij sint custodes. Cum enim Rex summa potestate revera præditus aliquid promittit, obligatur naturaliter Deo cui omnis summa inter homines potestas subdita est: sed quoad civilem obligandi rationem non semper superest facultas, quæ obligationem summæ potestatis exequatur, & reposcat promissa eo modo, quo ipsa summa potestas etiam ab invitis reposcere & impetrare potest.

XLI. Quo tempore in Imperio nostro cœptum Capitulationibus Regum potestatem restringere, diversæ sunt opiniones. Hordlederus ait verisimile videri, sub turbulento Henrici IVti imperio eam primum natam. Arumæus autem initium ad tempora Conradi I. refert. Alij sub Carolo M. cœpisse existimant. Sed verius, cui & nos calculum adjicimus, Limnæus in *Proleg. ad Capit.* dicit capitulationis initium cum Imperij nostri, imo Regnorum quorumlibet Germanicorum, ortu ejusdem esse ætatis

ætatis, incrementum autem & diversitatem pedetentim;
& varijs temporum intervallis, accepisse. Verba ejus
merentur adscribi; *Primis*, inquit, & illis temporibus, ubi
absoluta potestatis appetitus, vel nondum adoleverat, vel
nondum publica specimina copiose dederat, Capitulatio apud
nostrates, vel juramentum quod prestare solebant Reges, pau-
cis constabat articulis: postea vero paulatim illis alij additi,
& his superadditi alii, eo numero, ut hodie quinquagesimum
uno articulo superari videamus. Nec tamen hic terminus &
finis esse videtur, nisi imperantium libidinis fuerit.

XLII. In quæ capita autem Reges nostri olim ju-
raverint, docet nos Artic. 54. lib. 3. Spec. Saxon. Als
man den König wehlet / so soll Er dem Reich hulde thun / und
schweren / daß er die Warheit sagen wil / und alles unrecht
brechen / und daß er die Reichsgerechtigkeit beschirmen wolle /
als best er könne oder möge. Et Bodinus lib. 1. de Rep. c. 8. talem
nobis exhibet formulam. *Juro per Deum omnipotentem,*
ac promitto me juste regnaturum, judicium, equitatem, &
misericordiam facturum. Verum hoc juramentum circa
annum 858 auctum videtur in hunc modum; *Ego quan-*
tum sciero, & rationaliter potuero, Domino adjuvante, unum-
quemq; vestrum, secundum suum ordinem & personam hono-
rabo & salvabo, & honoratum & salvatum absq; ullo dolo ac
damnatione vel deceptione conservabo, & qui illam necesse
habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem misericor-
diam exhibebo, sicut fidelis Rex suos fideles per rectum hono-
rare & salvare, & unicuiq; competentem legem & justitiam
unoquoq; ordine conservare, & indigentibus & rationabiliter
petentibus rationabilem misericordiam volo impendere, & pro
nullo homine ab hoc, quantum permittit humana fragilitas, per
studium aut malevolentiam, aut alicujus indebitum hortamen-

rum de viabo, quantum Deus intellectum & possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit: cum hoc cognovero, voluntariè illud emendare curabo. *Lehm. Chron. Spir. lib. 2. c. 4.* Hodie cum in numerum excrevit Capitulatio Imperatoribus nostris præscribi solita, ut quadragenarium numerum aliquot articulis superet.

XLIII. Cum adhuc electio Imperatorum penes omnes Imperij Proceres esset, hæ leges Regibus nostris, præsentibus universis Principibus post electionem in plenis Comitijis præscribebantur. *Lehman. Chron. Spir. lib. 2. c. 4.* At postquam ad Septemviros potestas eligendi Imperatorem pervenit, officio hoc Electorum, quasi appendicem juris eligendi, adhærere aliquamdiu creditum est. Verum hodie non amplius Principes volunt concedere Electoribus, ut singulis Imperatoribus novas præscribant leges, sed dicunt capitulationem perpetuo valituram in Comitijis omnium Statuum consilio formandam esse, cum sit lex fundamentalis Reip. nostræ, imo cæteras leges fundamentales ambitu suo omnes complectatur, ac Cæsaris potestatem vel arcte constringat, vel ampliet, formamque ipsam Regiminis Imperij, adeoque omnium Statuum interesse concernat. Eoque tandem perductum est, ut in nupero Instrum. Pacis Cæsar. Suecico *art. 8. §. 5.* cautum sit, in proximis Comitijis de certa constantique Cæsarea Capitulatione concipienda, communi Statuum consensu agi debere.

XLIV. Hic non immerito moveri quæstio potest: An licitum sit Summæ Potestati legem præscribere, eamque cancellis aliquibus includere? Certum est, in Regnis mere electitijs, populo vel Statibus licere Regi quem sibi elegerunt, vel absolutam vel limitatam concedere potestatem:

testatem: Nam naturalis libertatis est de re sua disponere,
& contractui legem pro lubitu addere. Potest imo solet
fieri, ut Princeps absolutus juret, se jus sine amore & odio
dicturum, consuetudines patrias non neglecturū, bonorū
civium consilio usurum, & quæ alia ad laudem & virtutem
boni imperij pertinent. In quibus si nulla formula fa-
cultatem agendi imperandive imminui constat, manet
summum imperium, nec promisso tali etiam jurato ali-
quid decedit. Si enim promisit juravitque aliquid non
ad ipsum jus imperij, sed ad modum administrandi tan-
tum pertinens, sive ad modum utendi illo jure, non immi-
nuit imperium. Si autem promisit aliquid Rex aut Prin-
ceps, quod ad jura majestatis pertinet sive partes summi
imperij, & usum ejus: verbi gratia se non laturum leges,
non gesturum bellum nisi de sententia Ordinum, tum
partem summi imperij communicavit, neque adeo po-
testatem habet summam, quod in Monarchijs vix
locum habere potest. Fieri enim nequit ut aliquis sit &
maneat summa præditus potestate, & tamen cum civi-
bus de exercenda illa summa potestate contrahat per
modum perfectæ obligationis, quæ alteri parti jus det
cogendi. Quippe nullum alium judicem habent, sed in
propria causa judices esse possunt, quibus ab immortalī
Deo rerum omnium arbitrium legibus solutum conce-
ditur. *Bodin. lib. 3. de Rep.*

XLV. Verūm si Cæsar se non præbeat morigerum
Capitulationi, an eum deponere licitum? Hanc quæstio-
nem ut eo melius decidere possimus, deducemus prius ex
fundamentis Politicis, quid in universum in Regem aut
Principem male imperantem, liceat. Sunt nonnulli
quibusdam N. T. locis & exemplo primitivæ Christianæ
Eccle.

Ecclesiæ, quæ quidvis tulit pro Christiana religionē, nunquam correptis armis ad ulciscendas injurias, in eam sententiam inducti, quasi nefas sit, se unquam summæ potestati opponere, sed potestatis cujuslibet jussa sine discrimine esse servanda. Alij vero sunt adeo faciles in pronunciando, ut affirmant, cuilibet licere non tantum refragari Summæ potestati, sed etiam contra eam armis insurgere, & injuste imperanti in reliquis omnibus non parere; imo si Princeps in aliqua re peccat, putant se ad nullum obsequium obligatos. Horum vox est *hålt unser Herr so halten wir auch.*

XLVI. Sed utraque opinio quàm perniciosa sit Rebusp. jam dudum ab eruditis est ostensum. Si enim nunquam liceat reluctari Summæ potestati, omnis tyrannis erit ferenda, imo in extremam servitutem detrudi cives per hoc poterunt, adeoque civitas reddi poterit infelicissima: quod tamen in bene constituta Republ. præsertim illa ubi salus tam subditorum quam imperantium spectatur, minime erit concedendum. Contra verò si promiscua resistendi potestas admittitur, cessabit omne imperium, & nulla diu resp. salva permanere poterit, sed ordine parendi & imperandi sublato, quod ad omnem resistantiam necessario consequitur, funditus eam interire necesse est. Media igitur amplectenda sententia, nec dicendum, nullo modo resisti posse; nec tamen temere cuivis, aut adversus quemcunq̃ Regem, potestas resistendi concedenda.

XLVII. Accurata tamen adhibenda distinctio inter Resp. Non enim statim quod in mixta licet, etiam in simplici est permissum, & quod in civili cives possunt, etiam ad herilem est extendendum. Nam ibi extremam
crude

crudelitatem effugisse sufficit; at hic major civibus ut felicitas convenit, ita potestas in regem major est. In Rep. mixta non tantum Regi licite resisti potest, sed si in partem majestatis sibi non concessam involare velit, etiam illa pars Summæ potestatis quam ipse possidet, ipsi in poenam auferri potest: uti eleganter ostendit vir Clarissimus Boeclerus in opere suo ad Grotium *lib. 1. c. 3.*

XLIIII. Ostensum jam, interdum licere resistere Summæ potestati, restat autem videre quando & quomodo. Illud quidem apud omnes bonos extra controversiam est, si quid imperet naturali juri aut divinis præceptis contrarium, non esse faciendum quod jubet. Ordo enim imperandi & parendi, cum totus consideratur, incipit à divino imperio, cui omne humanum imperium subjungitur & subjungendo conjungitur. Quod autem in ordine sub alio ita constituitur, ut ab eo modum, vim, ac decus accipiat, illud repugnare isti supremo, unde suum ordinem & vim accepit, non potest, aut si repugnat, id est sui ordinis limites egreditur, perdit auctoritatem, & jus suum, quod non nisi in ordine instituto & per eum jus est.

XLV. Nec tantum Regi resistere licet quoties aliquid imperat juri divino aut naturali contrarium, sed etiam quoties in tyrannum degenerat Princeps in Rep. civili. Quando autem tyrannus sit appellandus, docet vir eruditissimus in opere suo nunquam satis laudato ad Hugonis Grot. *lib. 1. de I. B. & P. p. m. 292.*

L. Deinde ex sententia Ampliss. Dn. Præsidis etiam Principi resistere licet, quoties Reip. formam mutare conatur, & quidem tam occultis quam apertis machinationibus, reluctari potest: quia sæpe Respublicæ conservari nequeunt nisi etiam violentiæ & occultis mutationibus Im-

bus Imperantium occurratur. Hoc vero maximopere cavendum, ne statim ad arma transeat. Primò enim tentandum an precibus & supplicationibus Imperantis animus ad meliora flecti possit. Si vero ita nihil proficitur, mandata quidem non possunt observari, sed sustinenda est pœna à Summa potestate ob id imposita, more usitato primitivæ Ecclesiæ. Si vero nec ita cupiditas imperantium cohiberi possit, tum demum vis vi opponenda est, primo defensiva, ut nimirum te defendas ab injuria imperantium, denique, si aliter ab incepto nolit impio desistere, etiam offensive in Principem licet insurgere. Ita superiori seculo Germaniæ inferioris populi cum Rege Hispaniæ Philippo Secundo processerunt. Tentarunt enim primo precibus eum ad meliora reducere, sed cum ijs nihil proficerent, arreptis armis se ipsi opposuerunt, primo defensiva, post vero etiam offensive; nec prius arma deposuerunt, antequam se in plenam asseruissent libertatem. Nec aliter Sueci in depositione Sigismundi progressi sunt. Id autem in oppositione armorum diligentissime observandum, ne in oportuno tempore ea fiat, & Respublica per eam in extremam ducatur perniciem: semper enim in Rep. & omni vitâ humanâ minora mala propter majora ferenda sunt.

LI. Sed à thesi transeamus ad hypothesein, adeoque videamus quid in Imperatorem nostrum liceat. Illud quidem certum est, nullam in Imperio nostro exstare legem expressam, cujus vigore Imperator deponi possit. Attamen tacite conditio Capitulationi vi contractus inesse videtur, ut tam diu Imperator maneat, quam diu talem se præstiterit qualem se promisit. Quemadmodum non fuisset ad administrationem imperij admissus, si dixisset, se nolle

se nolle præscripta implere; ita, ubi expresso facto palam fecit, se nolle amplius ea implere, jure etiam ab Imperio removeri poterit. Quando enim Imperator eligitur, committitur illi administratio Imperij, non absoluta, sed cum conditione, ut eam exercent secundum leges sibi præscriptas. Quod si facere negligat, indignum se reddit nomine & officio, & sic desinit Imperator talis, qualis esse deberet, atque fit temerator juramenti quod præstitit. Vnde etiam ab ijs quibus juramentum præstitit, ob violationem ejus puniri potest, & si tam gravis sit violatio, etiam deponi. Etenim omnis Magistratus juramento aliquid promittens, naturaliter primo obligatur Deo, dein quoque illi cui quid servaturum se promisit: hinc dum quod sancte promisit non servat, peccat non tantum in Deum, verum etiam in illos, quibus id promisit; & sic utrobique puniri meretur.

LII. Si exemplis res conficienda, fas est Imperatorem propter causas non adeo magnas etiam deponere. Quamvis enim legibus aliàs, haud exemplis judicandum sit, cum nullum scelus fere sit, quod non exemplis probari possit: attamen in hac exauctorationis materia, ubi nulla lex Imperij fundamentalis nobis ad manus, ab exemplis legitimus sumimus argumentum, saltem ejus, quid fieri judicative interdum debeat, aut possit. Ita seculo ix depositus & omni dignitate exutus Carolus Crassus, quod innoxiam Imperatricem ob suspicionem adulterij in monasterium Andelauv detrusisset, & Cancellarium suum Luithart omni culpa vacuum ab Aula removit. *Lehman. Chron. Spir. lib. 3. cap. 46.* Henricus iv & v Otto item iv & alij quidam, non alia ferè de causa dignitate sua privati sunt, nisi quod Papæ per omnia obsequi nolue-

E

nolue-



noluerint, eaque de causa excommunicationis fulmine periti sunt. Ita enim Henrico IV causam suæ abdicationis quærenti, à Romanistis, qui Imperij insignia ipsi ereptum ibant, responsum legitur. *Quia tu deterrimo distidio, multos jam annos Ecclesiam Dei lacerasti, quia Episcopatus Abbacias omnesque dignitates Ecclesiasticas venales habuisti: quia nihil legitimi in legendis Episcopis observasti: Ob has res Pontifici Principibusque Germania placuit, te non piorum communionem solum sed Regni possessione etiam deturbare.* Sigon. Lib. 9. de Regno Italiae. Henricum etiam Utum hujus filium, cum is cætu piorum à Pontifice ejectus esset, Germaniæ Principes, Witeburgum, ad dicendum causam vocarunt; haud obscure denuntiantes, nisi venisset, absentem regno spoliaturos. Nec alia de causa, nisi propter anathema, seu excommunicationem Pontificis, Regnum ab eo defecit, ceu apparet ex *Orhone Frising. lib. 7. rerum ab Orig. mundi gest. cap. 16.* Adolphus Imperator à Rege Angliæ recepit pecuniam, ut eum juvaret contra Regem Franciæ; sed valde indigne id ferebant Imperij Principes, ut etiam ex hac & alijs causis, autore Archiepiscopo Moguntino, depositus sit. Non quidem superiora ista exempla calculo nostro per omnia approbamus; nec, an supradicti Imperatores bono publico remoti sint, examinare instituti jam nostri est. Sed id tantum ex istis exemplis, colligimus: Proceres Imperij, ad Imperatoris remotionem, quamvis nulla expressa lege ea de re in Imperio nostro exstante, procedere consuetos & ausos.

LIII. Cæterum cum deponendi Imperatores olim competierit potestas, & adhuc hodiè competat, diversæ admodum & dissentientes sunt opiniones. Quidam enim Pontifici Romano quidam Electori Palatino, alij
Colle-

Collegio Electorali, alij denique universo Procerum Imperij ordini, hanc judicandi functionem adscribunt.

LIV. Imprimis autem strenui juris Papalis assertores sunt clerico-politici Romanenses. Hi enim potestatem Regis & Principis deponendi, uni tribuunt Romano Pontifici, quasi illi à Christo data sit potestas constituendi ac deponendi Imperatores Regesque, atque hoc jure freti ipsi Pontifices Romani sæpe aliquem fulmine suo percusserunt, & turbas per id non minimas in Imperio excitarunt. Verùm cum sacrum codicem inspiciamus, apparet, minime talem Papæ potestatem competere. Vicarium enim se esse Christi putat Pontifex: at ille non habuit regnum de hoc mundo sed spirituale, nec itaque hujus aliud erit. Non enim major potestas esse poterit Vicarij, quam ejus est qui ipsum constituit. Quod considerans fortissimus Imperator Fridericus II, cum à Gregorio IX excommunicaretur & subditi juramento fidelitatis solverentur, ita ad Regem Gallix scribit: *Etsi Romanus Pontifex plenariam habeat in spiritualibus potestatem, ut peccatores quoslibet possit absolvere & ligare; nusquam tamen legi, ut Papa divinâ vel humanâ lege concedente, possit transferre pro lubitu Imperium, aut de Regibus & Principibus in Regnorum privatione temporaliter judicare.* Hodie etiam talis Papæ potestas, præsertim apud Protestantes, non amplius creditur. Nec in temporalibus alium quàm Deum & enses Principes revera summa potestate præditi recognoscunt superiorem, Papæ itaque non competere talem deponendi potestatem in Imperio nostro, sic manifestum est. Videamus autem à quibus itaque in Imperio nostro depositio peragenda.

LV. Vti electio Imperatorum ita etiam eorundem depositio in Imperio nostro per multa secula penes uni-

versos Ordines fuit. Sic unanimi consensu seculo quinto deposuerunt Franci Childericum I quem tamen postea iterum in Regem elegerunt. Seculo octavo depositus & in monasterium detrusus ultimus familiae Merovingicae Rex Childericus. De qua depositione ita Otto Frisingensis in Annal. inquit. *Igitur anno 752. reversis à Roma nuntiis, auctoritate Zachariae Papae Pipinus à Beato Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque Regni Principibus, in Suesbiona civitate ad Regnum eligitur. Anno seq. Zachariae defuncto Stephanus Papa successit; Ab eo Pipinus à fidelitatis sacramento, quod Childerico promiserat, cum aliis Regni Francorum primoribus absolvitur: ac detonso Childerico & in monasterium detruso postmodum in Regem ungitur.* Confirmat hæc quoque exemplum Ludovici Pij & Caroli Crassi: quorum ille anno 838. hic anno 887 concilij auctoritate est regno pulsus. Idem observatum per plura secula. Henricus enim quartus Cæsar male administratae Reip. aliquoties in Comitijis postulatus fuit, eorundemque auctoritate, regia dignitate exutus. Accidit idem Ottoni Quarto & Friderico II. Nec enim ipsi alia quam Comitiali auctoritate fuere depositi.

LVI. Verum postquam eligendi potestas ad Electores pervenit, crediderunt hi quoque sui officij esse, quem absque consilio Principum elegerunt, eundem etiam, si ita salus Reip. flagitet, iisdem inconsultis iterum deponere. Atque hoc jure freti Electores Adolphum Nassovium ac Wenceslaum soli de Imperij solio deturbaverunt, *Avent. lib. 7 & Gold. Constituz. Imperial. tom. 1.* Imo ostendit vir Ampliss. *Limmaeus Tom. 5. Jurisp.* hodie non universis Principibus, sed uti electionem ita etiam depositionem Imperatoris, solis Electoribus competere, ibique contraria Stamleri argumenta doctissime refutavit. **Consentit etiam**

etiam nobiscum Bertramus *lib. 11. de Comitibus.* Multum quidem facere ad concordiam inter Electores & Principes in Imperio nostro conservandam, ut nullus nisi de consilio omnium Principum deponatur, non eo inficias; attamen si nolint Electores id de consensu Principum agere, non video, quomodo ad id cogi possint, cum nulla lege fundamentalis ad id teneantur, imo electione concessa, etiam depositio ipsis concessa videatur. Adolphum quoque ac Wenceslaum soli deposuerunt Ordinibus non reclamantibus, nisi de iniquo juris exercitio, non vero de jure ipso. Nobis itaque videtur ad Electores potius, quam omnes Imperij Principes depositionem Cæsaris pertinere. Avertat tamen clementer Deus, ne posthac unquam tale quid in Imperio nostro contingat. Haftenus de Regibus si in Imperium deliquerunt, videamus nunc, si Principes condemnandi, à quo id fieri debeat.

LVII. Causæ Primorum populi, præsertim illæ, quæ Remp. & commune civitatis bonum attingebant apud antiquos Germaniæ populos haud alibi quam in Comitibus fuerunt decisæ. Vnde Tacitus. *Licet apud concilium accusare quoque & discrimen capitis intendere.* Hinc cum Regina Brunehildis multorum capitalium criminum rea esset, negotio ad Concilium delato, Regem ita loquutum refert Aimonius *Lib. 4. c. 1. Vos dulcissimi commilitones & præ eminentes Franciæ Primores, decernite, cui subjaceat supplicio, tanti obnoxia sceleris.* Addit; *in presentia Regis judicantibus Francis, indomitis equis religata discinditur.* Tassilonis Bojoriæ Ducis causa in conventu quoque populi fuit dijudicata anno 788. *Noxa convictus (ajunt Annales Franc.) uno omnium assensu ut læsæ majestatis reus, capitali sententia damnatus est, sed clementia Regis, licet morti addictum liberare curavit.*

Ad eundem modum damnati sunt in Comitibus Ernestus
aliique Comites perduellionis rei anno 861 ætate Ludo-
vici secundi Germ. Regis. Et Erchingerius ac Bartholdus
Comites fractæ pacis publicæ rei anno 916 Conrado ul-
timo Francici sanguinis rege judicati sunt. De quo ita
Ekhardus. *Consilio dehinc habito primò colloquium publicum
Moguntia, postea generale edixit concilium, ubi tribus illis lege
abjudicatis & proscriptis, prædiisque eorum in fisco redactis, ma-
jestatis reis capita damnata sunt, cæteris omnibus qui tanto faci-
ori intererant, tanquam rei pro hostibus prosequi jussis.* Goldast.
Tom. 1. Rerum Alem. p. 18.

LIIIX. Idem observatum tempore sequentium Im-
peratorum. Henricus enim I Imp. Ducem Lotharingiæ,
in frequenti Principum conventu condemnavit majesta-
tis reum, hostemque Reip. denunciavit, unde etiam com-
muni omnium consensu bellum in eum decretum est. *Mu-
tius Germ. Chron. lib. 16.* Conrado III Rege proscriptus est
Henricus Superbus, verum in frequenti Senatu, & senten-
tia edictoque Principum, *Aventinus lib. 6.* Henrici Leo-
nis causam non nisi in Comitibus regni agitatum à Frideri-
co I Cæsare, nec nisi de communi Principum sententia
illum esse proscriptum, locupletissimè testantur omnes e-
jus ævi historiæ. Idem Henricus supplex, à Cæsare cur
non potuerit in integrum restitui, causam diserte hanc
adducit Arnoldus Lubecensis *Lib. 3. cap. 29.* *Non absque
consensu Principum Imperator restituere illum poterat, quem o-
mnium consensu ditionibus suis privarat.* Seculo 13. Fridericus
Secundus Cæsar damnavit filium, at non nisi ex sententia
Septuaginta Principum in Comitibus, teste *Aventino lib. 7.*
Annal. Sec. 14. Carolus quartus controversiam de Electorali
dignitate inter Palatinum & Bavarum consensu omnium
Ele-

Electorum decidit. Rescripti Cæsarei hæc sunt verba. Ist
mit allen Churfürsten Geistlichen und Weltlichen/und Sie mit
ihme / mit gemeinen Raht / einmütiglich zu raht worden / und
übereinkommen. *Secul. quintodecimo Imperante Sigis-*
mundo, Fridericus Dux Austriae à Statibus Imperij proscri-
ptus, & omnibus bonis privatus est. Lehman. Chron. Spir.
lib. 7. cap. 84. Eodem seculo anno 40 Ludovico Bava-
riæ Duci cum filio litigaturo respondit in hæc verba Cæsar
Fridericus III. Wir wollen die Sache mit sampt unsern und
des Reichs Churfürsten / und andern Fürsten für uns nehmen/
und euch zu beyderseits mit der Freundschaft / oder mit dem
rechten entscheiden.

LIX. Ex hisce omnibus manifesto apparet, ab anti-
quissimis temporibus in Imperio nostro, Reges, Procerum
causas non merâ suâ voluntate diremisse, sed eas sententia
Principum ejusdem Ordinis, in Comitijis fuisse dijudica-
tas. Qui mos perpetuo in Germ. usque ad tempora Maxi-
miliani I Cæsaris fuit observatus. At Carolus Quintus & se-
quentes aliquot Imperatores animi sui ductum secuti,
propria auctoritate, contra consuetudinem receptam, E-
lectores & Principes proscripserunt. *Hordlederus von an-*
fang und forgang des teutschen Kriegs. Sic anno 1546 à
Carolo quinto proscriptus Johannes Fridericus. Et anno
1621 à Ferdinando II Fridericus aliique quam plurimi so-
la auctoritate Imperatoris proscripti sunt.

LX. Hinc Electores quasi piscatores icæi sapere coe-
perunt, & memores illius, quod quæ notabiliter fiunt, nisi
specialiter notentur, videantur quasi neglecta, Capitula-
tioni Ferdinandi Tertij §. 30. inseruerunt, ne ullus posthac
Electo aut Princeps Imperij sine illorum consensu proscri-
batur. Wir sollen und wollen auch für kommen / und keines
weges

welches gestatten / daß nun hinfüro jemand / hohes oder niedern
Standes / Churfürst / Fürst / oder anderer / ohne ursach / auch ohnges
hört / und ohne vorwissen Raht und verwilligung des H. Reichs
Churfürsten / welche sich des wercks nicht theilhaftig gemachet /
in die Acht und Oberacht gethan / bracht oder erkläret werden &c.
Novissime vero hac de re in Instrum. Pacis Cæsareo Suecico
art. 8. §. 2. statutum est, de modo & ordine in declarando
uno vel altero Statu in bannum Imperii, præter eum qui a-
lias in Constitutionibus Imperii descriptus est, ex commu-
ni Statuum consensu agi & statui debere.

LXI. Deinde non tantum causas vitam ac famam
Principum, verum etiam Ducatum, Principatum aut Co-
mitatum concernentes, sachen Fürstenthumb Herkogthumb
oder Graffschafften etc. belangend / so einem Theil gänzlich und
endlich abgesprochen werden sollen / neque solus Imperator, sed
consilio Procerum Imperii tamquam parium Curia, vi-
gore des Fürstenrechts / in prædictis causis concludit. Lim-
naeus, Tom. 1. I. P. lib. 2. cap. 9. Et Goldastus rerum Imperii
peritissimus, lib. 2. in tractatu suo de Senioratu ita scribit.
*Ius Principum, quod vulgo appellatur das Fürstenrecht / ex quo
Rex vel Imperator tenebatur controversos Regni & Imperij Prin-
cipatus & Comitatus, cum Paribus Curia cognoscere ac dijudicare,
non solum in prima & secunda Francorum familia in usu fuit, ve-
rum etiam ævo multum posteriori, & subsequitis nostris sub Cæsa-
ribus. Apparet hoc etiam ex Imperatoris Sigismundi literis
ad Conradum Electorem Moguntinum, de anno 1426. In
his enim de controversia inter Bavariae Principes ut ferret
sententiam rogatus, causas cur precibus non satisfacere
valeat, hæcce allegat: Nun sein wir mit andern der Christens-
heit geschafften / so fern / und so treflich beladen / daß wir zu sol-
cher entscheidung zwischen ihnen / nicht süglichen mögen zeit und
weile*

weise haben/ und auch daß wir dessen nicht woll mögen außwarten/ und nemlich auch darumb/ daß uns das nicht gebühret/ nach dem wir auch meinen/ recht zu denselben Niederlanden zu haben/ und in unser eigen sach nicht richter gesein mögen. Und weil die sache des Heil. Reichs treffendliche Lehen anrühret / so haben wir Fürsten/ Graffen und Herren Rähte darüber gehabt / und meinen das billig sein/ daß dieselb sach / vor des Reichs mannen außgetragen werde.

LXII. Considerantibus autem quidnam Reipublicæ nostræ utilius: per solum Cæsarem, aut ipsum & Principes simul causas Principū dijudicari? haud difficile liquet, optime convenire & populi moribus & integræ reipublicæ nostræ statui, has lites per Imperatorem & Pares Curiaë decidi. Neq; vero in Regno legitimo, & ubi reip. summa non debet esse penes unum Regem melior ratio judiciorum posset inveniri. Qui enim rectius caveris optimatum libertati, quam si causæ, illorum famam vitam dignitatem & maxima bona attinentes, non nisi in optimatum concilio decidentur? Cum itaque Germania nostra non sit respubl. Monarchica, sed in partem Summæ Potestatis veniant Ordines Imperij, manifestum fit, causas Ordinum, quæ quidem vitam & dignitatem vel bona potissima attinent, non esse in alio judicio decidendas, quàm ubi ipsimet Proceres Imperij præsentem, aut si non adsint ipsimet, ad minimum tamen id constituerint. Atque hoc etiam probare videtur Ampliff. Dn. Præses, Disp. sua de Judicijs Reip. Germ. his verbis: *Itaque aut antiquitus & ab omnibus retro seculis usitatus mos Principum causas Regis & Parium judicio commitendi fuerit observandus: aut vero tribunal aliquod in hunc usum communireip. auctoritate, fuerit instruendum. Communi inquam: Neq; enim temere permittendum, tanta ut causa vel*

citra Regis vel citra Ordinum mentem & sententiã judicentur; utpote quum ad reip. summam pertineant, summa autem isthac penes illos conjunctim sit, nisi fallimur.

LXIII. Transimus jam ad alia Comitiorum negotia. Cum ad eam ætatem olim juvenes in republica nostra pervenirent, quæ armis tractandis esset idonea, in plenis conventibus ea ipsis tradebantur. Tacitus l. de Moribus Germ. c. 13. *Arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater vel propinquus scuto frameaq; juvenem ornant. Hac apud illos toga; hic primus juvenia honos. Antehac domus pars videbatur, mox reipubl.* Atque hæc ratio armandi juvenes per multa secula duravit. De Friderico enim I. Imperatore fortissimo adhuc historiæ testantur, quod filium suum Henricum in plenis Comitij armis induerit.

LXIV. Hoc vero institutum, universæ salutare fuisse Germaniæ, multumque ad virtutem bellicam profuisse, tuto ausim affirmare. Dum enim civitas non antequam armis induebat, quam se tanto honore dignum gessisset, & virtute commeruisset, omnes ad egregium aliquod facinus pro Rep. præstandum, virtutemque jam inde à juvenili ætate colendam mirifice instigabat. Sane ad æmulationem (quæ, ut cum Paterculo loquar, *ingenias alit, & nunc invidia nunc admiratio imitationem accendit.*) quid efficacius institui potuisset? Certe nullâ re magis reliquos juvenes, qui nondum hoc honore digni judicabantur, & armigeri duntaxat erant reliquorum, ad imitationem fortium virorum facta instigare potuerunt, quam si præmium, quod consanguineis jam dari viderent, ob similem reip. navatam operam, mox etiam ipsis dare promitte-

promitterent. Hodie mos ille in Germania planè exolevit; & qui hisce temporibus in Principum aut Ducum Aulis in servitio nobili educati fuere simulatque tractandis armis idonei habentur, colapho solent primùm excipi, ac mox gladio armari. Quod quidem à Romanis, qui hoc modo mancipia sua libertati reddebant, ad nos devenisse; sed admodum servile, minimeque generosæ Germanicæ nobilitatis indoli conveniens esse videtur.

LXV. Pervenimus jam ad potestatem legislatoriam. videamus itaque cuiusmodi illa in Imperio nostro competat? Multi, inter quos etiam Reinkingius, strenuus nimium Cæsareæ potestatis assertor, omnem legum ferendarum potestatem uni tribuunt Imperatori, ipsumque ex plenitudine potestatis leges condere ac derogare posse, asseverant. Sed hi, dum eandem ex legibus Romanis nostro Imperatori tribuunt potestatem, quæ Cæsaris fuit Romanorum, & fallunt alios & ipsimet admodum falluntur. Non enim ex istis legibus Regum nostrorum auctoritas est æstimanda. Hæ sane conditæ sunt in Monarchia: at in nostro Imperio nunquam ea obtinuit, sed status mixtus perpetuò fuit observatus, uti Ampliss. Dn. Præses aliique viri celeberrimi scriptis suis clarè ostenderunt. Imo præfuerunt Reges nostri olim suadendi magis quam iubendi potestate, teste Tacito *de Moribus German.* Non itaque fit verisimile, rem in qua plurimum momenti situm, & quæ totam mutare remp. poterat, uni esse commissam Regi. Contrarium potius (leges nempe, ab universis ordinibus in plenis Comitibus fuisse conditas & adhuc hodie esse condendas) ex varijs Imperij monumentis apparet. Ut autem res fiat clarior eam paulo altius ex historijs deducemus.

F 2

LXVI. Igi

LXVI. Igitur omnes olim Leges quas Franci vel sibi
ipsis vel alijs populis sibi subjectis, Alemannis, Ripuarijs,
Frisiis, Bajoarijs, Langobardis & Saxonibus tulerunt, latae
fuerunt in conventibus populorum; nulla earum est lata
à solis Regibus. Indicant id liquido ipsae Legum inscrip-
tiones, quae etiamnum supersunt. Id quod ab Ampliss.
Dn. Praeside libro de Origine Juris passim est observatum.
Fertur quoque Caroli Magni nomine diploma: in quo
haec verba legere est: *Ego Carolus qui Deo favente curam
regni gero, & Rom. Imperator existo, consilio Principum regni
nostri, Episcoporum, Ducum, Marchionum ac Comitum, rogatu
vero tam liberorum quam servorum in plurimo generali con-
ventu in diversis locis regni nostri habito, discussi, prout me-
lius & justius cunctis videbatur, primum de lege sanctarum
Ecclesiarum &c. deinde prout cunctis placuit prudentioribus
regni nostri, legem Saxoniam, Noricorum, Suecorum, Franco-
rum, Ripuariorum, Salicorum, sicut mos & potestas Imperato-
rum est & omnium meorum antecessorum semper fuit, distinxi,
distinctam sub autoritate regia & Imperatoris stabilivi, non
ex mea adinventione vel corde prolatam, sed communi consi-
lio à me renovatam & auctam in melius, sicut patres & pre-
decessores mei fecisse perhibentur; Et paulo post. Ego vestri
decreti & petitionis voluntarius extiti: vos quasi patres &
fratres audivi, nunc quae ut mea petitionis & intentionis, non
solum adjutores, sed & benefactores fieri velitis: nec quod
indecens, aut intolerabile sit quaro, sed quod tota Gallia &
universi Principes potius concedere quam negare debent. Haec
verba sunt illius diplomatis. Verum nos illius fide ne-
quaquam nitimur. Est enim supposititium totum illud
de Aquisgranensium urbe quod fertur Carolinum Privile-
gium. Id quod itidem in Assertionem Juris Moguntini jam
est ab Amplissimo D. Praeside monitum.*

LXVII. Non

LXVII. Non aliam potestatem etiam filius Caroli
M. Ludovicus sibi arrogavit, ceu ex descriptione vitæ eius
colligere licet, ubi hæc inveniuntur. *Qua hyeme Imperator in eodem palatio (Aquisgrani) conventum publicum populi sui celebravit, & capitula quædam legibus addidit, in quibus causa forenses claudicare videbantur, quæ hætenus velut pernecessaria videbantur.* Similiter anno 820 Lotharius Imperator leges quasdam de percussoribus clericorum in Comitibus tulit: quarum clausula, ita apud Goldast. Tom. 2. Constit. Imper. legitur. *Aistulphus Moguntinensis Archiepiscopus dixit, si Principibus placuerit, aliisque fidelibus suis, rogemus, ut collaudetur, & subscribatur. Et collaudatum & subscriptum est, tam à Principe quam à cæteris omnibus.* Idem à sequentibus esse factum, historia illorum temporum nos docent.

LXIX. Hinc manifesto apparet, tempore Francorum Regum non alibi latis leges quam in Concilio totius populi. Quod perpetuo etiam à seqq. Imperatoribus usque ad Ferdinandum fuisse observatum, cuius res Germaniæ gestas inspicienti, liquet. Imo ipse ille Ferdinandus Secundus, quanquam fortasse contrarium ausus, verbis id ipsum confiteri haud dubitavit, leges in Comitibus esse condendas. Ita enim legatis Circuli Franconici anno 1629. 28. Augusti respondit. *Es erinnern sich ihre Keyserl. Mayest. daß in den jenigen sachen / da man newe Gesetze / und constitutiones auffrichten wolle / dem in Reich herkommen nach / solches auff gemeinen Reichsversammlungen constituiret werden solte.* Item cum Elector Saxonie literis de dato 28 April. anno 1629. ad Cæsarem datis, multis rationibus ostenderet, Religionis negotium, ab exorti dissidij primordio, in Comitibus Imperij publicis tractari solitum, ac proinde to-

tam ferventem eo tempore Edicti causam, illuc esse rejiciendam; jussu Imperatoris responderunt Consiliarij aulici: Neue Gesetze können ihre Keyß. Mayst. nicht machen ohne consens der sämbtlichen Reichs Stände/ man versire aber dissmahl nicht in terminis legis ferendæ, sondern justitiæ administrandæ. *Thomas Manlius in Epistola Iconismo Aquila Rom. annexa.*

LXIX. Porro ex ipsis Recessibus liquidò apparet, leges generales Imperij, expresso Statuum consensu esse condendas. Recessu enim de anno 1495. in pr. ita legitur. Mit zeitigem ewer der Churfürsten / Fürsten / und gemeiner versamlung auff unserm und des Reichstag zu Wormbs auffzurichten / und zu halten / fürgenommen und geordnet. Et de anno 1512. in pr. Uns mit des H. Reichs Ständen / und sie mit uns nachfolgende articul und meinung / als ein Christlich corpus und versamlung / gegen und mit einander vereiniget / verpflichtet und vertragen. Fridericus I. legem de incendiarijs ita concludit. *Actum Nürenberg in presentia Principum consilio & consensu eorundem.* Hinc etiam fit, ut Imperij non Imperatoris Recessus dicantur. Reichs abscheide / gemeiner Reichsbeschluß / aut Recessus Imperatoris ac Imperij. Unser und des Reichs Ordnung / Constitutionen und satzungen / unser und gemeiner Stände Abscheid. Recessu de anno 1564. §. 13. & de anno 1567. §. 50. ac passim alibi.

LXX. Hodie Imperatores in singulis Capitulationibus suis jurare tenentur, se nullas condere leges aut mutare velle absque expresso Statuum consensu, formula communiter talis est. Wir sollen und wollen auch / des H. Reichs Ordnung und geseze / confirmiren / erneuern / und wonohr dieselben mit Raht unser und des H. Reichs Churfürsten / Fürsten und andern Ständen bessern wie das zu jederzeit des Reichs

Reichs gelegenheit erfordern wird. Novissime hac de re Instr.
P. art. 8. §. ita de omnibus Ordinibus Imperij cautum est.
*Gaudeant sine contradictione jure suffragij in omnibus delibe-
rationibus super negotiis Imperij, praesertim ubi leges ferenda
vel interpretanda &c. Nihil horum aut quicquam simile posthac
unquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali liberoq; omnium
Imperij Statuum suffragio & consensu.*

LXXI. Hinc liquet, non aliam potestatem Caesaris
esse in lege ferenda, quam quæ in conventionibus alterius
contrahentium. Cum verò contrahentium in contra-
ctibus ineundis arbitrium hoc sit, ut alter alterum invi-
tum obligare non possit, sed utriusque requiratur consen-
sus; consequens est, non posse Imperatorem ex plenitudi-
ne potestatis (hæc enim in Comitijis revera nulla est) Or-
dinibus invitis quicquam statuere, sed ad valorem legis,
omnium aut certe plurimorum requiri consensum. Et
Recessus Imperij nostri, seu leges in Comitijis latis, Sena-
tusconsulta potius dicenda esse quam Edicta, & quidem
talia Senatusconsulta, ad quæ requiritur non solum unius
vel alterius Status consensus deliberatio & præsentia, sed
plurimorum. Et quemadmodum Imperator, si postula-
tis ejus Ordines, certis de causis, assentiri nolint, non ha-
bet quod eos inobedientiæ accuset: Ita si iidem Ordines,
antiquas leges, aut in totum abrogare, aut ex parte muta-
re, & alias novas ferre, è re Imperij esse putent, in eoque
unanimiter consentiant, ac constanter perseverent; Im-
peratorem illis reluctari non posse, sed consensum suum
necessario præbere oportere, aut Ordinibus non obstante
ejus dissensu, concludendi ac decernendi esse facultatem,
intrepidè asseveramus. Ita namque anno 1544. accidit,
quo decretum Wormatiense, invito, & per legatum
suura

suum contra protestante Cæsare, alio Decreto sublaturum est; *Sleid. l. 4. Hist.* Quod decretum posterius in tantum valuit, ut etiam sigillo suo id approbare Cæsar invitus teneretur. *Recessus Imperij de anno 1544. §. 36.*

LXXII. Præterea ad pacis negotia spectat etiam jus cudendæ monetæ. Nulla enim omnino Resp. omnium rerum sufficientia à natura est donata, sed multis eget quæ aliunde comparare necesse habet, multis vero vicissim abundat, quæ magis sibi utilibus commutare cupit. Hinc Arist. lib. I. Pol. c. 6. *Permutatio*, inquit, *ut in omnibus rebus cæpta quidem, primum ex eo quod secundum naturam est, quod homines alia quidem plura alia vero pauciora quam satis sit habeant.* Quia vero res quæ permutantur, haud raro ita comparatæ sunt, ut de loco in locum commode transportari nequeant, nec semper homines cum quibus permutare alij volunt ijs rebus indigent, quas permutare constituerunt, nec singulæ res singulas præcise metiuntur, permutatio autem minime impedienda, consilio sapientum & auctoritate superiorum introducta est alia permutandi ratio, quæ fit mediante nummo. Hinc Aristoteles *l. 5. Eth. c. 8.* ait. *In permutationem futuram, si forte re aliqua nunc non egeamus, tunc ejus nobis facultatem & copiam fore, cum egebimus, veluti sponsor nummus intercedit.*

LXXIII. Quo autem negotiantibus de integritate nummi plene cautum sit, non sane vulgaris aliqua auctoritas sufficit ad notam imprimendam, sed plane magna, ut scrupulus omnis de ejus valore nobis eximatur. Hinc patet, notam illam publica auctoritate solum plerumque imprimendam esse, ut sit bonitatis & valoris nummi indubitatum quoddam & omni exceptione majus testimonium. Aliàs enim contrahentes rarò securi forent, cum tamen nummi tanquam
pignoris

pignoris & sponsoris propria functio sit, ut contrahentes securos faciat. Hæc & similia perpendens Carolus M. Occidentalis Imperij restaurator, nullibi nisi in regio suo palatio, monetam, hac expressa lege, quam nobis Anseg. lib. 3. cap. 13. tradit, cudere jussit. *De falsis monetis, quia in diversis locis contra justitiam & contra edictum fiunt, volumus, ut nullo alio loco moneta cudatur, nisi in palatio nostro, nisi iterum à nobis aliter fuerit observatum.* Durante itaque Carolino Francorum regno, dixeris nemini præter Regem fas fuisse nummos cudere. At nimia liberalitate Ottonum, cum pluribus mox Episcopis, inde & cum Ducibus, jus hoc nummorum communicatum esse, ostendit Ampliss. Dominus Præses in Disp. sua de Re Nummaria in Rep. quavis recte constituenda.

LXXIV. Verum non stetit intra hos terminos sequentium Regum profusa liberalitas, sed ex potestate plane Regia, promiscuam pene licentiam, vel fecerunt, vel fieri passi sunt. Non enim Comites Imperii tantum plurimi, sed etiam Principibus subjectæ civitates, imo Nobiles ac Doctores multi, vel Imperatorum aut Principum dono, vel præscriptione multorum annorum hoc jus nacti sunt. Ut hodie nonnullorum auctoritatem in nummis signandis sequi teneamur, quibus ne quidem in contractu aliquo fidem temere adhiberemus. Quantas autem hæc res in Imperio nostro dederit difficultates, neminem vel historiarum superficialiter gnarum, facile fugiet.

LXXV. Diu est quod huic malo remedia sunt quaesita, ac ea de re multis in Comitibus, verum lento aut potius nullo successu, actum. Tandem autem Ferdinandi I tempore res feliciter cessit, & edita est de re monetaria nova constitutio Augustæ Vindelicorum, anno 1559 quæ sequentibus aliquot Constitutionibus partim correctæ, partim

G

ad-

adaucta. Ne tamen cuiquam etiam jus suum quaesitum auferretur, ita res temperata est, ut quibus est jus cudendae monetae, si proprias fodinas metalli non habent, eo non domi suae, sed tribus aut quatuor duntaxat locis, à Circulo designatis utantur, atque ibi ab ipso circulo constituentur praefecti monetales, qui nomine ejus omnia recte curent. Quia vero nec ita satis cautum rei monetariae, aut forsan leges hac de re latae parum observarentur, cautum est in ult. *Cap. §. 33.* Leopoldi, Imperatorem ad proxima Comitia rem debere afferre, & omni ope anniti, ut communi consilio Electorum & Principum Imperij, gravamina rei monetariae sopirentur, quod se etiam facturum, ibidem promisit. Und nach deme im Reich viel beschwerung und mangel der Münz halber bishero gewesen/und noch sind/wollen wir dieselbe zum förderlichsten mit Rath der Churfürsten Fürsten und Ständen des Reichs zuvor kommen/und in beständige Ordnung und Wesen zustellen möglichsten fleiß für wenden / auch zu dem End die jenigen Mittel / so in anno 1603 und auff vorigen Reichstagen durch Churfürsten und Stände des Reichs ingemein bedacht/in gute obacht nehmen/ und was ferner zutregliches zu abwendung solcher lang gewehrten Unrichtigkeit auff dem prorogirten nechst fünffstigen Reichstag vor gut befunden werden möchte / zu mahlen nichts unterlassen. Et in eadem *Capitul. §. 34.* Imperator promissit, se nemini absque consensu Electorum jus monetae velle concedere. Wir sollen und wollen auch hinfüro ohne vorwissen/und absonderliche einwilligung und consens der Sieben Churfürsten / niemands / wes Stands oder Wesens der seye/ mit Münzfreheiten und Münzstätten begaben und begnädigen / etc.

LXXVI. Quanta hodie sit potestas Imperatoris circa rem monetariam ex supra allatis apparet. Certe in tantum

tum nunc circa hanc rem restricta est Cæsaris auctoritas, ut ne circa minimam quidem monetam, ganze und halbe Batzen / pfenning und heller solus Imperator quicquam statuere possit. Vti ex *Recessu Imperij de anno 1524 §. 26.* Item *X. A. des Reichstags zu Augspurg de anno 1551 §. 36. circa finem apparet.* Mit Churfürsten / Fürsten / und Ständen / fernher allhie verglichen / angestellet und verfasst.

LXXVII. Hactenus de rebus in Imperio nostro ad pacis tempora spectantibus, sequuntur jam res belli. Esse quidem adhuc alia Imperij negotia, quæ more recepto, aut vigore Instrumenti Pacis & Capitulationum non à solo Imperatore, sed ab omnibus in Comitibus Ordinibus sint decidenda, non imus inficias. Verum hæc omnia hoc discursu Academico exequi, non patitur ratio nostri instituti. Videantur in *Instrum. Pacis & Capitul. nec non Limnæi de Iure Publico, atque ad Capit. & ad Aur. Bullam commentariis, libro it. cui Tit. die Grundfeste des Heil. Röm. Reichs.* Pergimus jam ad negotia belli.

LXXVIII. Admodum accurate Philosophus noster *Arist. Polit. 7. cap. 14.* vitam humanam divisit in negotium & otium, Bellum & Pacem. Hanc autem prævalere tanquam rem nobiliorem, utpote ad quam conservandam aut recuperandam negotia belli semper dirigenda, idem ostendit *Pol. 7. cap. 2.* Nomen enim pacis dulce, res vero ipsa jucunda & salutaris est, nihil autem è contrario, bello malorum omnium compendio, funestius excogitari potest, hinc omni ope annitendum, ut pax ubique in Rep. conservetur.

LXXIX. Verum quoniam ea sæpe incidunt tempora, ut pax obtineri in rep. salva regiminis essentia, non possit, non tantum ad pacis, sed etiam ad belli negotia debet hæc esse instructa. Nam qui prohi dolor! perversi sunt hominum

mores, vix caveri poterit, ne una aliam injuria afficiat civitatem, at cum inter illas nullus adsit iudex qui litem in judicio dirimat, necessario res Marti erit committenda, & bellum suscipiendum. Ea enim malitia est hominum, ut qui potentia valent sæpe vim alijs faciant, quam nisi repellere vi possis, succumbere te necessum est violentæ exterorum libidini. Hinc illa demum Resp. bene sese habet, quæ non tantum pacis sed belli etiam artibus, atque idoneis adminiculis instructa est; quæ hac laborat parte, quamvis pacis artibus floreat feliciter, reapse tamen misera est, patens videlicet injuriæ externæ. Quod considerans sacratissimus Imperator Justinianus, in proœmio Instit. dicit: *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari.* Vnde etiam Accursius leges & legiones duo mundi brachia appellat. Et Lipsius de Civ. Doctr. lib. 5. cap. 2. inquit. *Nulla res vitam aut tranquillum usum habet sine militia. Patria, libertas, atque adeo ipsi Reges latent sub prasidio bellica virtutis.*

LXX X. Suscipere autem bellum possunt omnes Resp. modo superiorem non recognoscant. Qui enim superiorem recognoscunt, si quas petitiones se habere putent, jure experiri possunt & debent, habent enim qui iudicet ipsos. Quod etiam jure gentium certum est, ubi jure agi potest, ab armis esse abstinendum. *Nihil enim ferinum magis aut belluinum est, quam ut ab alio velit quis & audeat, sive aperta vi sive subdola, extorquere, quod sola rationis auctoritate possit ac debeat evincere, & in deficientis rationis locum vim substituere, denique in armis, in quibus nil nisi vis esse potest, jus ipsum collocare, ut eleganter differit, Ant. Faber. in Epist. ante Consult. de Ducat. Montisf. pro Duce Sabaudia.*

LXXXI.

LXXXI. Non aliter itaque, nisi ubi superior nullus
adsit, ac justissima de causa, suscipiendum bellum, susce-
ptum hoc unico fine, ut pax & justitia quaratur, qua sita
conservetur, gerendum. *R. A. zu Nürnberg de anno 1542*
§. 16. Id etiam in primis tenendum, ne avaritiæ aut ambi-
tionis causa suscipiantur bella, nec unquam Princeps se im-
plicet bello nisi justo. Nam ut Lucanus *lib. 7.* inquit, à cau-
sa eventus belli plerumque dependet.

Causa jubet Superos melior sperare secundos.

Et Propert. 4. Eleg. 7.

Frangit & attollit vires in milite causa.

Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

LXXXII. Cæterum non est nostri jam instituti, di-
cere, quando & à quibus legitime bella suscipiantur; nec
est hujus loci, disceptare, quam de causa illud sit geren-
dum, sed id tantummodo facit ad scopum nostrum, ut vi-
deamus, si forsitan (quod tamen Deus clementer avertat) bel-
lum nomine totius Imperij sit gerendum, an id solus Impe-
rator propria auctoritate indicare ac gerere possit? an vero
consensum Electorum & Principum adhibere teneatur?

LXXXIII. Ab antiquissimis temporibus licet ob-
servare, nunquam Germaniæ Proceres Regibus suis plenam
indicendi gerendive belli potestatem concessisse, sed si for-
tassis Patria ab externo hoste fuit petita, aut ipsa illatam si-
bi injuriam vindicare necesse habuit, id consilio & consen-
su omnium Ordinum fuit peragendum. Ita cum anno 760
Rex Pipinus Vaisario Duci Aquitanorum bellum inferre
conaretur, consilium iniit cum Francis, & ex illorum con-
sensu id suscepit. Regino *lib. 2. anno 809.* Ludovicus Pius,
succedente æstate accito populi sui generali conventu, retulit eis
sibi delatum rumorem, quod quadam Vasconum pars, jam pridem

in deditioem suscepta, nunc deditioem meditare in rebellionem
assurgeret, ad quorum reprimendam pervicaciam publica utilitas
postularet. Haecenus Regino. Hanc Regis voluntatem omnes
laudibus prosequuntur, nec talia in subditis contemnen-
da, sed potius severissime punienda testantur. Verba sunt
Pithœi, in Annal. quæ huc adscribere placuit. Henricus
I in Quedlinburg Curiam suam celebravit. Ibidem, Prin-
cipibus convocatis, ipsisq; singulis & universis in idipsum
consentientibus, Poloniam & Bohemiam, cæterasq; Slavo-
rum adjacentes regiones, quia nondum Christi fidem re-
ceperant, debellare disposuit. *Sigfridus Presbyter Misnensis*
in Epist. lib. 2. De Friderico I cum primis notatu dignum
est, quod Ungaris bellum indicere, ipsosque ad Monarchiæ
apicem reducere voluerit; sed cum assensum super hoc
Principum, quibusdam de causis latentibus, habere non
posset, ad effectum tunc perducere ea, quæ volvebat mente,
non valens, ad opportunitiora tempora distulit. *Otto Fri-
sing. lib. 2. de gestis Frid. 1. cap. 6.* Sub Imperio Caroli V
communi Statuum consensu bellum in Regem Galliarum de-
cernitur. R. A. zu Speir / anno 1544 §. 4. Idem factum con-
tra civitatem Magdeburgensem. R. A. zu Augspurg / anno
1551 §. 20. Sub Maximiliano II contra Johannem Frideri-
cum Ducem Saxoniarum expeditio Gothana suscepta omni-
um Statuum consensu. R. A. zu Regenspurg / anno 1567 §. 42.
Patet hinc, olim penes Imperatores nostros solos non fuis-
se potestatem belli indicendi gerendive, totius quidem
Imperij auspicijs & ductu, sed potius simul penes univer-
sos Imperij Principes in Comitijs.

LXXXIV. Hodiè vigore art. 8. §. 2. Instrum. Pacis
Cesar. Suecici nullum aliter bellum suscipiendum, quàm præ-
vio Comitiali liberoque omnium Imperij Statuum suffra-
gio

gio & consensu. Et novissime Imperator noster Leopoldus §. 13. Cap. sua juratò promisit, se nullum bellum intra vel extra fines Imperij suscipere velle, nisi de omnium Ordinum, aut ad minimum Electorum consilio ac consensu. Wir sollen und wollen auch vns darzu in Zeit bemelter unserer Regierung gegen den benachbahrten / und anstossenden Christlichen Gemächtern friedlich halten / kein Gezänck / Wehde / noch Krieg / in / oder aussershalb des Reichs von desselben wegen / unter keinerley vorwand / wie der auch seye / ohne der Churfürsten / Fürsten / und Ständen / oder zum wenigsten der sämtlichen Churfürsten vor wissen / rath und einwilligung anfangen oder vornehmen / noch ohne jeh gedachten consens, einiges Kriegs-Volck ins Reich führen / oder führen lassen.

LXXXV. Hinc etiam milites conscribuntur nomine Imperatoris & Statuum, sive Imperatoris & Imperij R. A. zu Nürnberg / de anno 1522. §. 11. Und sollen solche Knechte förderlich von wegen unser und gemeiner Reichs Ständ angenommen / und hinab gen Wien geschicket werden. Et R. A. zu Regensburg de anno 1598. §. 9. So viel Kriegs-Volck zu Ross und Fuß / als weit sich solch Geld ohne gefahr erstrecken würd allenthalben im Reich / wo die am besten zu bekommen / in unserm und des Heiligen Reichs namen werben / und auff unsere verantwortung zu Krieg wieder den Türcken in Anzug bringen solten etc.

LXXXVI. Similiter Imperatori non est facultas declarandi aliquem generalem belli Ducem, sed illud ipsum quoque fit & fieri debet communi Ordinum suffragio. Ita Albertus, Comes Palatinus Rheni, & utriusque Bavarix Dux anno 1500 Imperatoris Electorum ac Ducum consensu generalis ac summus belli Dux creatus est.

est. R. A. des Reichstags zu Augspurg / anno 1500 tit. 51. So
ist der Hochgebohrn Fürst / Albrecht / Pfalz = Graff bey
Rhein / und Herzog in Ober und nieder Bayern / unser lie
ber Schwager / von dieser Versammlung / zu einem gemeinen
Hauptman des Heiligen Reichs erwählt. Idem confirma
tur R. A. zu Augspurg / de anno 1530 §. 120. Hinc fit ut ju
rumentum non Imperatori, sed ipsi & Imperio, seu Sta
tibus præstare teneatur. R. A. zu Regensburg / anno 1541.
§. 55. & passim alibi in R. A. Item reliqui quoque bel
li munia obeuntes, & totus exercitus, seu milites omnes
juramentum præstant Imperio. R. A. zu Augspurg de anno
1500. tit. 55. & 57.

LXXXVII. Non quidem negare possumus, consti
tutionem summi Ducis militaris, ab Ordinibus, libera
voluntate, interdum Cæsari, sub certis conditionibus,
fuisse concessam. Ut anno 1541, anno 1542, item an
no 1598 & sæpius deinceps factum. Cæsarem quoque
ipsum pro se ac liberis suis hoc officium, tanquam pro
prie Imperatorium, impetrasse ab Ordinibus, ex *Recessu Im
perij de anno 1557* apparet. Sed id Ordinum juri præjudi
dicare minime potest. Concesserunt tum temporis spe
cialiter Imperatori hanc eligendi Ducis potestatem, ra
tionibus forsan nobis ignotis moti; an autem & hodie
idem Cæsari permittere velint, in illorum adhuc est arbi
trio. Non enim consequens videtur, quia tum hæc ipsi
potestas fuit ab Ordinibus relicta, & hodie sine speciali
Principium concessione hoc jus ipsi competere. Con
trarium potius fit verisimile, quia olim expresso consen
su Ordinum hæc potestas Imperatori concessa, idem ad
huc hodie fieri debere.

LXXXIIX.

LXXXIIX. Stipendium quoque ab Imperatoribus & Statibus simul, tam officarijs quam gregarijs militibus concedi, evincit §. 32. *Recess. Imper. VVormat. de anno 1521.* Aliquando tamen hoc à solis Statibus factum, ex §. 109. *R. A. de anno 1530.* fit manifestum. Fürter haben sich Churfürsten Fürsten und Stände der Besoldung und unterhaltung ihres Kriegsvolcks zu Ross und Fuß/ damit gleichheit gehalten/ und keiner vorm andern übersteigert werde/ folgender maß vereiniget und verglichen. Occasione stipendij nonnihil dicimus de Collectis imperij generalibus cuinam nempe in Imperio nostro, collectæ generalis indictio, Reichs Steuer Reichs anlage Reichs hülffe competat.

LXXXIX. Collectæ Imperij generales in Imperio nostro, non à solo Imperatore imponuntur, nec à reservata suprema ac semper atque perpetuo apud Imperatorem residente potestate descendunt, uti fabulantur quidam, quibus aulæ favor magis quam patriæ libertas cordi est: sed ab universis Ordinibus in plenis Comitijs, aut si extrema necessitas hanc moram non patiat, ad minimum Electorum consilio & consensu, vigore *Instrum. Pac. art. 18. §. 2.* ac *Capit. Imp.* indici debent. Ordinarie autem ad Comitia hoc negotij genus referendum esse, non semel Status Imperatorem admonuerunt. Factum id novimus in Comitijs anno 1597 Ratisbonæ, in quibus Legatus Palatinus Neoburgicus, Brandenburgicus, Brunsvicensis, & Episcopus Wurceburgensis, obnixe rogarunt, Die Stände mit solcher extraordinari und Kreißhülffe zuverschonen. Idem repetitum in Comitijs Ratisponensibus anno 1603, quando sollicite plurimi, tam in Electorali quam Principum Senatu, Status, extraordinarium hunc modum omittendum imposterum petierunt.

H

XC.Unde

XC. Unde cum Matthias, Ungariæ Rex, anno 1609 ad tuendos ejusdem regni fines, subsidia ab Electore Saxoniæ peteret, res ab eodem ad Comitibus rejecta est, hac ratione; Es müsse nicht ein Stand des Reichs alleine/ sondern auff algemeine Reichsversammlung / hierein gehandelt werden. In literis ad Regem Matthiam de dato Mersburg 10. 20. Febr. anno 1611. Ita quoque Rudolphus Imperator, à proprio fratre Regnis ac ditionibus exutus, cum in Electorum conventum anno 1611 Noribergæ habito, sumtus, ad sustinendam Imperatoriam dignitatem, postularer, Electores rem ad universos Ordines rejecerunt: responso Electorum ad Imperatoris propositionem de dato 17 Septemb. anno 1611. Idem anno 1623. in Conventu Ratisponensi, ab illis factum. Ubi, cum Imperator, ad tuendos Ungariæ fines, contributionem postularer: Sie möchten ihrer Mayest. mit treuherzigem Rath und That zu handlen gehen/ wie ihre Mayest. an der Türckischen Grenck unterhaltung mit einer erklecklichen Hülffe / für dismahl / ohne eine Reichsversammlung / umb der anzug hangender Gefahr willen / succurreret werden möge. Sed ab Electoribus responsum est: Ihre Käyserl. Mayest. werde sie / das sie deroselben / wie sie sonst gerne wolten / in diesem ihrem suchen / dismahl nicht entgegen gehen können / allergnädigt vor entschuldigt halten / und ihr nicht zu wieder sein lassen / dieses an die sämbtliche Stände des Heil. Reichs durch herkommene beliebige wege / gelangen zu lassen. Lundorp, Tom. 1. l. 6. Act. Publ.

XCI. Patet ex hisce jam allegatis, in materia contributionum nullam plane solius Imperatoris esse potestatem, sed omne hoc negotium ab universis Ordinibus in Comitibus esse tractandum. Collectarum enim præcipuum requisitum est, voluntarius Ordinum consensus: hæcque
non

non minima pars libertatis Ordinum huc usque fuit, quam ut sartam rectam sibi reservarent, sæpe acceptis reversalibus sibi prospexerunt. Imo in tantum hac in re restricta est Imperatoris potestas, ut, si Ordines Imperij in collectam, certis terminis solvendam, consenserint, Cæsar solus, & propria auctoritate, ne terminum quidem solutionis mutare & coarctare possit, sed ubi necessitas id exigere videtur, adhibendus est Ordinum consensus. Prout factum anno 1567. quemadmodum ex ejusdem anni Recess. §. 20. videre licet.

X CII. Nec tamen & illud nobis ultimò prætereundum est, quod Imperator, sicut tributo onerare Ordines in ipsius potestate non est, ita nec à tributo, communi Ordinum consensu imperato, immunitatem, uni alterive, in reliquorum præjudicium concedere possit; sed si Ordines quidam in Imperio existant, quibus certis de causis immunitas concedenda videtur, communi Ordinum placito id fieri debeat. Ita anno 1542. Civitatibus Goslar/Mülhausen/Northausen/Wangen & Zell im Hammersbach communi Ordinum consensu tributum fuit remissum. R. A. zu Speier anno 1542. §. 97. Verum nimis diu forsan hisce immorati sumus, revertamur jam in viam.

X CIII. Hospitationes militum, die Einquartirung/ non aliter quoque fieri debent, quam Comitiali, liberoque omnium Imperij Statuum suffragio & consensu. Art. 8. §. 2. supra nominati Instr. Pacis Cæs. Succ. Nec nova munimenta intra Statuum ditiones exstrui nomine publico, veterave firmari possunt, nisi consilio ac consensu omnium Ordinum, eod. §. dicti Instr. Pacis. Bello acquisita, non Imperatori sed Imperio accrescunt, nisi aliter inter Imperatorem & Status convenerit. Ordnung des Regiments

giments zu Augspurg anno 1500. Tit. Wo dem Reich Glück
und Sieg zustünden. Und ob uns Gott der Allmächtig Glück
und Sieg/ als wir hoffen und bitten/ verleihe / das der Haupt-
man/ so verordnet werden soll/ mit des Reichs Volck / etwas
erobern / oder gewinnen / oder das sich jemand an das Reich
ergeben / und sich dem Reiche Zinsbar machen wird / dasselbig
alles dem Reiche zu stehen / und dem verordneten Reichs Rath
getrewlich überantwortet werden. It. R. A. zu Speyer anno
1542. §. 38. Denique si pax facienda aut stabilienda, hoc
non à delegatis aliquot separatim, sed potius ab univer-
sis in conventu Proceribus fieri debet. Sleid. l. 24. Atque
hoc etiam in nuperrimo Instr. Pacis Cæsar. Suec. diserte
cautum, pacem non aliter faciendam, quàm Comitiali
liberoque omnium Imperij Statuum suffragio ac con-
sensu.

XCIV. Nec bellum tantummodo nullum potest
Imperator noster absque consensu Ordinum gerere, sed
etiam foedus nullum cum alijs inire, sive illi sub Imperio
sint, sive exteri, & alterius, quam Germanicæ nationis,
citra Statuum Imperij assensum, ipsi permissum. Hand-
habung des Friedens/ Rechts/ und Ordnungen zu Wormbs
anno 1495. auffgerichtet. Tit. die Königliche Mayest. sol keinen
Krieg anfahen. Hinc cum Maximilianus, inscijs & incon-
sultis Statibus Imperij, foedus cum Pontifice Rom. & Re-
gibus Franciæ ac Arragoniæ, contra Venetos iniisset, &
à Statibus Imperij anno 1509. in Comitijs Wormatiensi-
bus auxilium peteret, illi præstare recusabant, quod citra
eorum præscitum ac consensum, contra Imperij recepta
jura & consuetudinem, ad foedus & bellum accessisset.
Ne autem iterum & sæpius ad eundem lapidem impinge-
retur, & Imperator de rebus tam arduis, à quibus salus,
vel

vel damnum reip. dependet, solus pro arbitrio disponere
posset; Electores Capitulationi inseruerunt, ne unquam
post hac Imperator inconsultis Electoribus, foedus no-
mine Imperij pangat, *Capitul. Caroli s. Ferd. aliorumq.*
Verum vigore Instrumenti Pacis Imperator non tantum
Electorum consensum ad foedus faciendum adhibere te-
netur, sed id agendum Comitiali liberoque omnium Sta-
tuum Imperij suffragio. Atque hoc etiam hodiernus
Imperator se facturum juravit, nisi publica salus & utili-
tas aliud exigat, & tum Electorum consensum adhibere
sufficit. *§. 10. Capit. Leopoldi.*

XCIV. Ultimo loco non nihil adhuc de Legatis di-
cemus, & quidem videbimus penes quem in Imperio no-
stro potestas mittendi Legatos, Imperij quidem nomine,
consistat, atque hoc jure absoluto, finem disputationi
nostrae imponemus. Vix est, ut foedera ici, bella indici,
in concordiam iterum coiri, aut ulla Reip. cum exteris ne-
gotia expediri sine interventu Legatorum possint. Raro
enim conducit Reip. & Statui communi, ut Magnates &
Principes ipsimet de negotijs Reip. tractent, & in familiari
sint conversatione, quia ita facillime levi etiam de causa
aut novum odium potest exoriri, aut acceptum vulnus
reerudescere, vel unus alterve nimis familiariter sese ge-
rens alteri contemptui esse. Interest etiam reip. ne vires
subditorum enerventur, aut nimijs sumptibus Principum
aeraria exhauriantur. Fieret autem talis profusio, si Prin-
cipes ipsi semper in conventibus illis diuturnis coram
se se sisterent.

XCVI. Non quidem negamus, id quod ex historijs
patet, saepe unico belligerantium Ducum colloquio, mi-
lite ab utraque parte jam tum in procinctu & acie stante,

H 3

pacem

pacem fuisse initam, imo uno die sæpe ab ipsis Principibus decisum, quod per solos ministros & Legatos pluribus annis fieri non potuit. Verùm rara hæc sunt, nec hodie forsan expectari facile poterunt. Docet enim experientia, dum ad componendas controversias ipsimet Principes convenerunt, ita sæpè exasperatos ipsorum animos, ut postea nunquam reconciliari potuerint. Utilius itaque rebus publ. videtur, ne ipsimet Principes conveniant, sed illorum nomine mittantur Legati, qui nomine illorum res peragant.

XCVII. Hæc autem potestas mittendi Legatos in unaquaque republ. Summæ Potestati competit. Quia vero hæc in Imperio nostro soli Imperatori non competit, sed in Comitibus consistit, etiam potestatem mittendi Legatos penes illa esse necesse est. Sermo autem nobis est de negotiis ad universum Imperium spectantibus. Nam in particularibus negotiis non Imperatori modò, sed etiam cuilibet Ordinum jura Legatorum competere, in propatulo est. Qui etiam in Comitibus ubi de publica re agitur, Legatorum nomine indignantur, & in Recess. vocantur *Rähte / Bothschafften und Gesanten. R. A. zu Augspurg de anno 1500. Tit. 45. & passim alibi.*

XCVIII. At in re communi, & totum Imperium concernente Legati, non nisi omnium Ordinum & totius Imperij auctoritate, mitti possunt. *R. A. zu Regensburg, anno 1594. S. 43.* Ita cum Legatio ad componendas in Belgio turbas decerneretur, instructio non à solo Imperatore, sed simul à deputatis ad id, ex Ordinum numero, vi mandati à toto Imperio suscepti, concipi debuit. Sic enim scribitur. *R. A. auff den Reichstag zu Regensburg, anno 1594. S. 45. Seind auch darauff erbietig mit*

zu ziehung / obberührter von Churfürsten / Fürsten und Ständen / deputirter auff die angedeutete mittel / und weg / das unse-
rige dabey Väterlich und trewlich zu thun / und anzuwenden /
auch mit denselben zugezogenen Churfürsten / Fürsten und
Ständen / krafft gemeiner Reichsversammlung auffgetragenen
gewalts / fürderlich zur berathschiagung greiffen / wie und wor-
auff die instructiones der Pacification und friedens tracta-
tion zurichten &c. Eademque instructio cum de novo
corrigenda, & sub limam revocanda esset, non ex solius
Imperatoris, sed Deputatorum quoque arbitrio id faci-
endum fuit. *N. A. zu Regensburg anno 1603. S. 30.* At-
que hoc antiquissimis reipubl. nostræ moribus conve-
niens esse, testatur Lehmannus *Chron Spir. lib. 2. c. 39.*


XCIX. Veluti autem nullos, de re communi Lega-
tos Imperator solus mittere potest; Ita nec missos priva-
tim solus audire debet, sed audiendi illi sunt in Comitijs
ab universis Imperij proceribus. Lehmannus *Chron. Spir.*
lib. 7. cap. 124. Hätten aber die Legaten bey der Käys. Mayest.
und Ständen sämbtlich zuschaffen / so pflegen sie ihre credenz
abgesondert an beyde Orht / als zu Käyserl. Mayest. Hoff /
und dann zum Mainzischen Cansler übergeben / und dar-
auff benennen die Käyserl. Mayest. den Ständen eine Stund
wann sie bey ihre Mayest. entweder Persönlich oder durch ein
Auschuß pro negotij qualitate & Legati dignitate in Ihr
Mayest. palatio die zu hören erscheinen sollen.

C. Tantum de nobilissimo hoc themate; non qui-
dem pro materiæ dignitate, sed ingenij & virium facul-
tate temporisque ratione, differuisse sufficiat. Trinu-
ni Deo, Omnipotenti & soli sapienti, sit laus & gloria in
omnem æternitatem. Faxit idem summus rerum Arbi-
ter, ut hæc, & in posterum omnia, in suam vergant glo-
riam,

riam, patriæque si quod inde ad eam derivari potest,
emolumentum. Tu vero, Lector benevole, si quid
in hac materia humani passi sumus, aut forsan aliena
nimis disputationi nostræ inseruimus, multaque huc
pertinentia omisimus, hæc juvenili ætati, à qua hæc
exercitij Academici gratiâ sunt profe-
cta, condona

F I N I S.







ACC 029

ULB Halle 3
002 114 402


5b

AB: 153089

6b 17



HELM
Wisc...




18

RTATIO
DE
SIS NEGO-
MITIIS IMPE-
ANICI OLIM
IUM TRACTA-
OLITIS

A M
ivino Numine
RESIDIO
ATQUE CLARISSIMI
CONRINGII
MED. DOCTORIS AC
CELEBERRIMI &c.
RÆCEPTORIS SUI
OBSERVANDI

18. Aprilis
cit ventilationi
PAR BECKER
ph. Auct. & Resp.
VDITORIO MAIORI

o (✱)
ESTADII,
MULLERI Acad. Typogr.
1766



B.I.G.

Farbkarte #13